A. A. Howard.

DE LEGATIONIBUS

REIPUBLICAE LIBERAE TEMPORIBUS ROMAM MISSIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

ORDINE PHILOSOPHORUM LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

THEODORUS BUETTNER-WOBST.

DRESDENSIS.

SEMIN. PHILOL. LIPS. NUPER SENIOR.

LIPSIAE

TYPIS I. B. HIRSCHFELDI

MDCCCLXXVI.

MATRI CARISSIMAE

PII SUI ANIMI

TESTEM ESSE VULT HUNC LIBELLUM.

S.

CONSPECTUS RERUM TRACTATARUM.

HOSTIS, HOSPITIUM, AMICITIA, FOEDUS, DEDITIO.

Antiquitus cum a singulis gentibus civitates separatae constitui coeptae essent, hominem alterius reipublicae apud alterum populum legum tutela plane caruisse, per se patet. Apud Romanos autem is peregrinus, ad quem suis legibus utentem Romanorum instituta non spectabant, antiquitus appellabatur hostis[1]). Cum vero Latinorum „suis legibus uti" dupliciter intelligi possit aut de civitate sui iuris cum Romanis nequaquam iuncta[2]) aut de republica cui, quamquam aliqua societas cum Romanis intercessit, omnibus tamen suis legibus uti licuit[3]), valde dubitari potest, utrum hostis esse videatur peregrinus hospitii iure adversus vim et iniurias defensus[4]) an peregrinus civitatis Romae non coniunctae. Sed cum apud Festum s. v. status dies pag. 314 M. referentem haec „status dies vocatur, qui iudici caussa est constitutus cum peregrino; eius enim generis ab antiquis hostes appellabantur, quod erant *pari iure cum populo Romano* atque hostire ponebatur pro aequare' illa verba „quod erant pari iure cum populo Romano" dici non possint, nisi de civitate cum Romanis non coniuncta [nam — ut Mommseni verbis (l. c.) utar — der hostis ist niemals in Rom rechtlos . . . freilich ist Rechtsstellung nicht Rechtsgleichheit (pari iure)] his e ratiocinationibus concludi posse videtur, hostem simpliciter significasse *pere-*

1) Plaut. Trin. I, 2. 65. Rud. II, 4, 21. Varro de l. l. V, 3 nam tum eo verbo (hostis) dicebant peregrinum, qui suis legibus uteretur, nunc dicunt eum, quem tum dicebant perduellem. Cic. off. I, 12. Macrob. Sat. I, 16. Serv. ad Verg. Aen. IV, 425. Dig. 49, 15, 5 § 2 cf. Osenbrueggeni de iure belli ac pacis Lips. 1836 p. 8 sq. 2) v. Voigtii: das ius naturale Lips. 1858 t. II, p. 259 adnot. 276. 3) v. Voigtii: das ius naturale t. II, p. 429 adnot. 546. Leg. Anton. de Termess. lin. VII (C. I. L. I, p. 114): itaque ieis omnibus sueis legibus Thermensis maioribus Pisideis uti liceto. Gell. XVI, 13, 6. 4) Ita Mommsenus: Röm. Forsch. t. I, p. 349 adn. 50.

grinum. Accedit, quod non solum facillime intelligi potest, quomodo hostis ita ad duriorem notionem transire potuerit eius qui arma contra fert, difficillime, quomodo significatio peregrini Romae coniuncti ad vim prorsus contrariam verti potuerit, sed etiam — si alias linguas conferimus — et Gothorum *gasts* Slavorumque *gošti* ad eandem[1]) radicem spectantia ac Latinorum hostis semper[2]) significare videntur peregrinum[3]), et in aliis Germanorum linguis hanc notionem praevalere Diefenbachius (l. c.) docuit.

Eadem autem ratione, qua apud Romanos peregrini dicebantur etiam ii, qui Romanorum erant socii[4]), ita in fragmentis duodecim tabularum hostis[5]) eadem notio haud raro invenitur.

Quam autem ad radicem illud hostis sit referendum, discernere vix ausim.

Kuhnii quidem sententiam[6]), e qua e radice linguae sanscritae *ghan* formatum hostis idem sit, quod sanscrita vox '*gôghnas* Kuhschläger', quamvis Curtius recte repellat, quod neque illud s vocabuli hostis satis possit explicari et syllaba principalis *gô* desit et aliae difficultates haud exiguae notione ipsa vocis '*gôghnas*' parentur, tamen ne eum quidem in radice *ghas* 'essen' perseverantem sequi possum. Nam quam principalem dicit esse vim 'Mitesser' neque ad vetustam notionem peregrini pertinere videtur neque in ipsa voce hostis vis *una* cenandi, longe maximi ponderis, inest[7]).

Quamvis autem nos non dubitemus, hostis vocabulum ad ean-

---

1) Corssenum enim (v. Mommseni: Röm. Forsch. I, 326 adn. 1) contendentem neque illas voces ex una radice derivatas esse et Latinorum hostem ab hostiendo esse ducendum, recte repulerunt et Curtius et Mommsenus (Röm. Forsch. t. I, p. 326 adn. 1, p. 349 adn. 50). 2) De illo *gošti* tamen Leskienius benevolentissime ac liberalissime mecum communicavit haec '*gošti* bedeutet von ältester Zeit nur Gast im heutigen Sinne dieses Wortes, hat nur in älterer Zeit die Bedeutung Kaufmann, aber des fremden reisenden Kaufmann, was sich daher erklärt, dass derselbe, wie z. B. die Hansakaufherrn in Novgorod, das Gastrecht hatte. In feindlichem Sinne kann es nie gebraucht werden. Dies schliesst natürlich nicht aus, dass das Wort ursprünglich im Allgemeinen Fremdling bedeuten konnte. Sicher ist es etymologisch gleich dem gothischen gasts.'

3) v. Mommseni: Röm. Forsch. t. I, p. 326 adn. 1. 4) v. Paulyi: Realencycl. t. III, p. 496; V, p. 1331; VI, p. 413. 5) v. Mommseni: Röm. Forsch. t. I, p. 349 adn. 50. 6) v. Mommseni: Röm. Forsch. t. I, p. 328 adn. 3.

7) Ea autem quae Mommsenus (l. c.) contra Curtii rationem affert, ex usu linguae latinae hostem esse solum eum, qui pacto *publico* tutus sit, si concedamus recte esse dicta, quid impedit, quominus ipsius vocabuli vetustate adducti ad ipsum familiae ius, fundamentum reipublicae antiquissimum, redeamus?

dem radicem referre atque eas voces quas supra attulimus, tamen explicari non posse videtur, quomodo solum Latinorum vocabulum ad notionem prorsus aliam pervenerit, nisi concedimus, — quod fieri vix potuit — ipsam linguam, sonorum similitudine vocum hastae et hostiendi adductam, notiones inter se miscuisse et turbasse.

Sed — ut redeamus ad ipsum propositum — quamvis apud Romanos peregrini legum expertes essent, tamen legationes ab iis missas sancto legati nomine ab iniuriis publice esse defensas, plerisque testimoniis[1]) comprobatur. Sed si cuius reipublicae omnes cives in altera civitate legum tutela volebant esse tuti, iis societas erat ineunda. Jure autem Romanorum publico constituebantur pactorum genera haec:

A. *Hospitium*[2]).

Duae civitates hospitium inter se facere non possunt, nisi utraque sui iuris alii subiecta et obnoxia non est[3]). Cum vero de officiis civitatum hospitio coniunctarum testimonia non multa extent, et respicere ad hospitia iuncta inter civitates hominesque privatos et e notione amicitiae[4]) non ita certa et definita ea enucleare coacti sumus, quae ad hospitium pertinent.

Illius autem generis hospitium vetustissimum, de quo Livius (V, 28) uberius fusiusque disputat, senatus consulto factum est cum Timasitheo Liparensi, quod Romanorum legatos Delphos cum donis proficiscentes benevolentissime adiuverat. Huic dona publice data

1) v. Paulyi: Realenc. t. IV, p. 851. Voigtii: das ius naturale t. II, p. 26. Cic. in Verr. II, 1, 33, 85. Legatorum ius divino humanoque vallatum praesidio, cuius tam sanctum et venerabile nomen esse debet ut non modo inter sociorum iura sed et hostium tela incolume versetur. Procop. de bell. goth I, 7. III, 16.
2) Hospitis vocabulum separari non posse a simplice hostis voce Curtius rectissime pressisse videtur (v. Mommseni: Röm. Forsch. t. I, p. 327 adn. 2) quamvis neque ad radicem linguae sanscritae pa 'schützen' redire velim, quod ita t illius hospitis non explicatur, neque Curtium sequi possim ad petendi vocabulum delegantem, ita ut hos-pes sit hostis petens 'der Gastfreundschaft suchende Fremde' quod ita sospes, quod eadem ratione factum esse negari vix potest, non respicitur. 3) v. Mommseni: Röm. Forsch. t. I, p. 333 sqq.
4) Plane enim facimus cum Mommseno contra Walterum (Gesch. d. röm. Rechts I, § 81, p. 114) et Voigtium (das ius naturale t. II, p. 46, 56) contendente, non solum certos fines inter amicitiae et hospitii notionem constitui non posse, quamvis fortasse posterioribus temporibus (Dig. 49, 15, 5, 2) amicitia iungi potuerit hospitio non facto, sed etiam Scto de Asclepiade (C. I. L. I, p. 114) luculenter demonstrari, amicis populi Romani hospitii ius fuisse (v. Mommseni: Röm. Forsch. t. I, p. 329 adn. 4).

sunt. Similia autem hospitia posterioribus temporibus multa fiebant. Gentes enim Romanorum civitati coniunctae, cum Romae ab aliquo suum patrocinium suscipi vellent[1]), e gentibus Romanorum nobilibus patronos eligebant, quibuscum haud raro hospitium iungebant[2]). Sed ita non proprio hospitio eos coniunctos fuisse, sed tantummodo procurandi negotia officio quod patroni Romani susceperant Mommsenus recte docuit[3]). Quae cum ita sint his testimoniis uti non possumus, nisi fortasse teneamus, in tali hospitio faciendo semper una comprehendi posteros. Itaque e Livii testimonio (V, 28), cui accedit Servii ad Verg. Aen. IX, 360[4]) adnotatio, tantummodo cognoscimus, in hospitiis iungendis dona dari solere.

Sed multo uberiorem materiam rerumque copiam haurire possumus e certis verbis Scti de Asclepiade, Polystrato, Menisco in amicorum formulam referendis (C. I. L. t. I. p. 110). Inde apparet, hospitium iungentes neque iureiurando dato neque sacro facto se posterosque obligare, ut utrique liceat de rebus suis mittere legatos iisque aliisve venientibus non modo legum tutela non desit, sed etiam iis munera dentur, locus lautiaque praebeantur, sacrificium Romae in Capitolio facere liceat[5]). Ut autem significaretur, in aeternum hospitium esse factum, in duabus tabulis aheneis, duabus gentibus destinatis, incidebatur, quarum alteram Romani publice ponebant in aede Fidei populi Romani, prope ad templum Jovis Capitolini sita[6]). Ita vero cum hospitia coniungerentur, facile intelligitur, officia non evanescere, nisi aut renuntiato[7]) hospitio aut ab altera civitate hospitii iure neglecto[8]).

---

1) v. Dion. II, 11. App. bell. civ. II, 4. Plin. n. h. 34, 15. Paulyi: Realenc. t. V, p. 1247. 2) v. Wilmannsi exempl. inscrr. latt. t. II, 2849—2861. Mommseni: Röm. Forsch. t. I, p. 335 adn. 15. 3) v. Mommseni: Röm. Forsch. t. I, p. 358. 4) „Consuetudo erat apud maiores, ut inter se homines hospitii iura mutuis muneribus copularent vel per internuntios". 5) v. Mommseni: Röm. Forsch. t. I, p. 331—354. 6) v. Pol. III, 25. Liv. II, 33; IV, 7; XXVI, 24; XXXIX, 37. Dion. II, 55; III, 33; IV, 26. Cic. p. Balb. 23. App. Syr. 39. Suet. Vesp. 8. Ios. A. I. XII, 17. Mommseni: annali dell' instituto di corrisp. archeologica 1858 p. 181—212: Röm. Forsch. t. I, p. 339 adn. 26. Mendelssohni: Senati consulta Romana in Ioseph. antiquitt. p. 98, 195, 245 [in Act. soc. philol. Lips. ed. Ritschelius t. V]. 7) v. Paulyi: Realenc. t. III, p. 1521. Mommseni: Röm. Forsch. t. I, p. 342. Walteri: Gesch. d. röm. Rechts t. I, § 82, p. 116 adn. 17. 8) v. Mommseni: Röm. Forsch. t. I, p. 343 adn. 32. Itaque Epirotae cum officiis defuissent, petierunt (Liv. XXXVI, 35) — quamvis nondum renuntiata esset amicitia — ut in pristina amicitia esse sibi liceret.

Sed nunc accuratius disputemus de ipsis hospitii officiis.

I. 1. *Locus*[1]).

Hospites publici tecto recipiebantur gratuito neque raro factum est, ut ad habitandum darentur aedes liberae, i. e. 'aedes, quae nulli alii vel inquilino vel habitatori serviebant quasque, cui dabantur, solus cum sua familia incolebat'[2]). Mommsenum autem non recte iudicasse, legatos sociorum saepe habitasse in villa publica, in campo Martio sita[3]), facillime demonstrari potest. Constat enim, usu publico sociorum legatos ab hostium legatis ita discerni, ut hi tecto non reciperentur nisi *extra* urbem in villa publica (v. pag. 55), illi in urbem intromitterentur. Sed ubi sociorum loca publica[4]) fuerint, ignoramus; nam vix credibile esse eos in Carinis habitasse[5]) Mommseno concedendum est.

I. 2. *Lautia*[6]).

Lautia explicat[7]) Charisius (I, 21 P. p. 34 K.) per supellectilem, glossae per Graecorum *ἐνδομενίαν*[8]). Sed cum negari non possit, Graecos hospitii gratia omnem victum gratuito non praebuisse[9]), sed sola ea quae maxime necessaria videbantur ad vivendum, deinde cum Athenaeus IV, 74[10]) narret, Delios hospiti paravisse nihil nisi *ἅλας καὶ ὄξος καὶ ἔλαιον καὶ στρώματα*, Magnetes *στέγην, ἅλας, ἔλαιον, ὄξος, ἔτι λύχνον, κλίνας, στρώματα, τραπέζας*, denique cum similia afferat de iis quae Romanis proficiscentibus praeberi mos fuerit et Horatius[11])

1) Locus (Liv. XXVIII, 39. XXX, 21. XXXV, 23) loca (Liv. XXX, 17) aedes liberae (Liv. XXX, 17. XXXV, 23. XLII, 6) *τόπος* (Sct. de Asclep. lin. gr. 26) *κατάλυμα* (Pol. XXXII, 19). 2) Ita recte Turnebus ad Liv. XXX, 17. 3) v. Beckeri: Handb. d. r. Altert. t. I, p. 625. 4) Per se intelligitur fieri potuisse ut apud privatos hospites habitarent (v. Plut. Publ. IV. Dio C. XXXIX, 13) socii. 5) Serv. adnot. ad Verg. Aen. VIII, 361. 6) *Lautia* (Sct. de Asclep. lin. lat. VIII. Liv. XXVIII, 39. XXX, 17. XXXV, 23. XLII, 26. XLV, 20. Fest. ep. p. 68 dautia, quae lautia dicimus, dantur legatis hospitii gratia.) *παροχή* (Sct. de Asclep. lin. gr. XXVI. Pol. XXII, 1. XXV, 6. XXXII, 19.) *ξένια* (Plut. quaest. Rom. 43 *τὸ γὰρ παλαιόν . . . . οἱ ταμίαι ξένια τοῖς πρεσβεύουσιν ἔπεμπον, ἐκαλεῖτο δὲ λαύτεια*). Dio C. fr. 79 Dd. 7) Val. Max. (V, C. I, § 1, p. 381. Kompf) cum narret, Prusiae eiusque comitibus publice esse praebitas *copias*, pro insolito lautiorum verbo illud solitum posuisse videtur. Item (Val. Max. V. I, 1) narrans Ptolemaeo regi e regno pulso Romae cotidie munera esse missa fortasse lautia intelligit. 8) v. Stephani thes. s. v. *ἐνδομενία* Lobeckii Phryn. p. 334. 9) Xenoph. Anab. IV, 8, 23. V, 9, 15. V, 10, 3. Lys. de lib. Nic. fr. p. 306. Beck. 10) v. Hermanni: gr. Privatalt. § 51. 11) Hor. Sat. I, 5, 46: tectum praebuit et parochi quae debent ligna salemque.

et Cicero[1]), non dubitamus concludere cum Mommseno[2]) hospitibus publicis sola parata esse maxime necessaria, qualia erant lectus et stramenta, mensa, lumen, lignum, sal, oleum, acetum[3]).

Sed usum non fuisse omnem[4]) sumptum praebendi ex eo effici cogique potest, quod *singulari* decreto quaestor iubebatur, esse eum praebendum hospitibus publicis spectatissimis[5]). Hoc autem instituto lautia plane omitti, per se patet[5]).

I. 3. *Munus.*

Veterum inter donum et munus accurate discernentium[6]) Varronem recte vidisse, munus esse donum, quod mutuo animo qui sint dent officii caussa (de l. l. V. 179 M.), nemo negabit, si cum munere[7]) verba ab eadem radice ducta contulerit immunis, communis, alia[8]). Cum vero e Gellii (V, 13) testimonio luculenter appareat, in officiis ex moribus populi Romani secundum aut tertium locum habere hospites, eodem iure quo de munere natalicio pupillis dato dicitur (Val. Max. IX, 2 ext. 5), de munere quoque hospitibus praebito, quamvis prorsus necessarium non sit, sed officii caussa detur, sermo esse potest.

Sed ut de muneris origine acrius iudicare possimus, de Mommseni sententia[9]) latius disputari non supervacaneum esse videtur. Dicit autem Mommsenus, ut apud Germanos ita apud Romanos prioribus temporibus hospitii gratia data esse locum, supellectilem, victum gratuitum, sed donum sua quemque sponte obtulisse. Sed ne nimium tempus hospites Romae manerent, paullo post locum

---

1) Cic. ad Att. V, 16, 3. 'Scito non modo nos foenum aut quod lege Iulia dari solet, non accipere sed ne lignum quidem nec praeter quattuor lectos et tectum quemquam accipere quidquam'. 2) v. Mommseni: Röm. Forsch. t. I, p. 345. 3) Ita igitur intelligendum esse videtur ambiguum illud Appiani Iber. 49 *τῶν δὲ πρέσβεων οἱ μὲν ἐκ τῆς φιλίας εἰς τὴν πόλιν εἰςελθόντες ἐξενίζοντο.* I. G. Bergeri commentationem 'historicocriticam' de lautiis Veterum. Vitemb. 1711 inspicere non potui. cf. Weiske considérations historiques et diplomatiques sur les ambassades des Romains Zv. 1834, p. 52, § 36. 4) Itaque non recte scripsisse videtur Weiskius (l. c. p. 53): Lautia exprime toute sorte d'agrément et commodité desirable aux étrangers reçus surtout la table. 5) Liv. XLII, 6. XLV, 13. 14. 44. Val. Max. V. I, 1. 6) v. Rudorffi ind. lect. Berol. hiem. 1848. 7) v. Mommseni: Röm. Forsch. t. I, p. 345 adn. 38. 8) Omnium autem eius vocabuli rationum a viris doctis excogitatarum (v. 'Kuhns Zeitschrift' II, 147. VII, 160. VIII, 366) Corsseni sententia (Ausspr. I², 372) e qua ad radicem mu binden linguae sanscritae sit refugiendum, mihi verisimillima esse videtur. 9) Röm. Forsch. t. I, p. 345 sq.

victus gratuiti obtinuisse munus. Id autem eadem ratione factum esse, qua in cenis publicis mensa et pane et vino appositis singulis convivis sportula daretur et pecunia, ut, quae ad edendum necessaria viderentur, singuli emerent. — Huic vero opinioni praecipue duo argumenta obstare videntur. Primum enim si pro victu gratuito munus esset datum, de nullo alio nisi de munere pecuniae cogitari posset; sed nunquam tale munus praebitum esse, recte concedit Mommsenus. Deinde, si singulare decretum factum erat omnem sumptum hospitibus parandi, e Mommseni sententia munus omittendum fuisset, quod tamen nunquam accidit[1]).

Sed si memores erimus et morem vetustum esse in hospitiis vel iungendis vel renovandis munera dari et dona ab hostium legatis allata saepe accipi[2]), *ne iis pacis et amicitiae spes eripiatur* et iis, qui bello gesto ad pacem faciendam veniunt, locum et lautia praeberi, nunquam munera dari[3]), verisimile esse videbitur, munus fuisse signum amicitiae atque ita officii caussa ad memoriam sempiternam in hospitiis faciendis esse datum[4]).

Munus autem non pecuniae fuisse, sed a quaestore data esse vasa argentea, torques ex auro factos alia[5]); etsi e Livii talibus verbis qualia extant haec: 'muneris dari ne minus dena millia aeris (XXVIII, 39), dona ne minus quinum millium (XXX, 17)' nihil eerti concludere possumus, et ex iis locis quos affert Mommsenus, et e Livii testimoniis his: 'munera ex senatus consulto *emere* regulo quaestor iussus (XLV, 14), munera sibi ipsi *emi* non sisse (XLV, 44)' luculenter apparet.

II. 1. *De iure hospitum publicorum in Capitolio sacra faciendi et donaria afferendi.*

Cum apud Livium legati a sociis populis Romam missi plerisque locis dicantur petere, ut sibi sacrificium in Capitolio facere ibique donum ponere liceat, Reinius[8]) contendere non dubitat, amicis P. R. concessum non fuisse ius in Capitolio sacrificandi. Sed cum in Scto de Thisbaeis[9]) vs. 32 haec scripta sint: ὡσαύτως περὶ

1) Liv. XLII, 6. XLIV, 14. 44. 2) Dio C. fr. 79. Dind. XXXVII. 2. Plut. Lucull. XXI. 3) Liv. XXX, 21. XXXIII, 24. 4) Item his caussis non omnibus allatis iam prius iudicavit Rudorffius in ind. lect. Berol. hiem. 1848. 5) v. Mommseni: Röm. Forsch. t. I, p. 345 adn. 39. Liv. XXXV, 23. XLIII, 5. 6) Röm. Forsch. t. I, p. 345 adn. 39. 7) Liv. XXVIII, 39. XXXVI, 35. XLIII, 6. XLIV, 14. XLV, 13. 44. 8) In Paulyi: Realencycl. t. V, p. 1332. 9) Ephem. epigr. I, p. 278—298.

ὧν οἱ αὐτ[οὶ] λόγους ἐποιήσαντο χρυσίον ὃ συνήνεγκαν εἰς στέφανον, [ὅπω]ς εἰς τὸ Καπετώλιον στέφανον κατασκευάσωσιν, in Scto de Asclepiade vs. 25 τούτοις τε .... θυσίαν τε ποιῆσαι ἐξ[ῇ], dubitari non potest, quin socii, quamvis ex hospitii iure in Capitolio sacra facere possint, modeste a senatu petant, quae negari non possint[1]). Sed fieri quoque potuit, ut gens quaedam sua religione impediretur, quominus Romanorum sacrorum particeps esset. Ita Judaei a. 615/139 ἀσπίδα χρυσῆν σύμβολον τῆς συμμαχίας γενομένης από χρυσῶν μυριάδων πέντε in Capitolio ponunt sed a sacrificando abstinent[2]).

De iis autem, quae de amicorum P. R. sacris Romae faciendis lege Rubria Acilia a. 632/122 lata[3]) instituta sunt, iudicium facere nos non possumus, quod solum nomen illius legis extat in Scto de Astypalaeensibus[4]).

II. 2. *Quibus legibus hospites publici tuti fuerint.*

Si duae civitates inter se hospitio coniunctae erant, alterius reipublicae cives apud alterum populum tutela non caruisse, per se patet. Legum autem condicionem, quibus duo illi populi inter se obstricti esse volebant, in aliis pactis aliam fuisse, Mommsenus[5]) recte iudicasse videtur. Ita — ut exemplum afferam — Asclepiadi benevolentissime a P. R. conceditur[6]), „ut, si iudicio certare velit, aut domi suis legibus uti possit aut in civitate aliqua libera earum, quae semper in amicitia P. R. manserit, aut apud magistratus Romanos Italicis iudicibus, ubi velit, ut ibi iudicium de iis rebus fiat."

Aliis autem populis cum cive aliquo Romano iudicio certare volentibus senatus erat adeundus, qui aut ipse patronum eligebat aut praetorem iubebat eum nominare[7]).

III. *De locis hospitibus publicis in spectaculis datis.*

Massiliensibus, qui, cum audivissent, Romam a Gallis captam esse et incensam, ad explendum pondus Gallis aurum et argentum

1) Item Mommsenus iudicat: Röm. Forsch. t. I, p. 347. v. Brissonius de formul. ed. Bach. lib. II, p. 232 sqq. C. I. L. I, n. 587—589. C. I. G. III, n. 5880—5883. 2) Ioseph. A. I. XIV, 8, 5. v. Mendelssohni senati consulta Romana sq. p. 35. 3) v. Rudorffii iudicium in actis soc. litterar. Berolin. 1861 p. 678 prolatum. Langii A. R. II[2], 629. III, 41. 4) C. I. G. n. 2485 vs. 11! θυσίαν τε ἐν Καπετωλίῳ ἐὰν θέλῃ ποιῆσ[αι] ...... [κατὰ] τὸν νόμον τόν τε Ῥόβριον καὶ τὸν Ἀκίλιον. 5) Röm. Forsch. t. I, p. 348 sqq. 6) C. I. L. I, p. 110 vers. 13 sqq. 7) v. Liv. XLIII, 2. Pol. VI, 11. Cic. div. in Caec. XX. Paulyi: Realenc. t. V, 1245.

privatum publicumque contulissent, ob id meritum a Romanis inter alia spectaculorum locum in senatu[1]) datum esse, Iustinus (XLIII, 5, 10) diserte tradidit.

Sed non solum e Iustini verbis his „ob quod meritum et immunitas illis decreta et locus spectaculorum in senatu datus et foedus aequo iure percussum" apparet, *extra* foederis iura concessum esse honorem illum Massiliensibus, sed etiam in Scto de Asclepiade cet. ne verbum quidem inveniri potest de tali honore concesso. Accedit, quod etiam imperatorum temporibus alius gentis legati promiscue spectabant, alius (Tac. Ann. XIII, 54 *earum gentium* legatis id honoris datum, *quae virtute et amicitia Romana praecellerent*) inter senatores.

Itaque item Caesare consule, Iudaeis[2]) summus hic honor singulari decreto decernitur hoc: *δίδοσθαί τε Ὑρκανῷ καὶ παισὶ τοῖς αὐτοῦ καὶ πρεσβευταῖς τοῖς ὑπ' αὐτοῦ πεμφθεῖσιν ἔν τε πυγμῇ μονομάχων καὶ θηρίων καθεζομένοις μετὰ τῶν συγκλητικῶν θεωρεῖν.*

Quae cum ita sint, mihi persuasum est, hunc fuisse honorem non ipso hospitio facto datum, sed propter merita plerisque gentibus amicissimis insuper datum.

B. *Foedus*[3]).

Firmissimum vinculum, quo populus quis cum Romanorum civitate coniungi posset, fuit *foedus*. Eo enim icto civitates non solum hospitii iure, sed etiam officio in bellis gerendis auxilium foederatis ferendi iureiurando facto[4]) iunctae erant.

Senatus autem ex auctoritate populoque iubente aut fetiales se contulerunt eo ubi foedus fieret aut Romae in comitio iureiurando et sacro faciundo[5]) foedus sanciebatur[6]).

---

1) v. Liv. I, 35, 8. Langii: R. A. II^2, 199. Marquardtii: Handb. IV, 530. 2) Ios. A. I. XIV, 10, 6, p. 236 Bekk. v. Mendelssohni: senati consulta Romana p. 229 sq., p. 236. 3) De *amicitia* v. p. 5 adn. 4. 4) Mommseni: Röm. Forsch. t. I, p. 336. Falso enim Marquardtius: Staatsverwaltung t. I, p. 44 adn. 4 dicit Romulum cum Alba non foedus sed amicitiam iunxisse; fuit enim foedus aequum iureiurando facto constitutum (Dion. III, 3, 10 *τοὺς θεοὺς οὓς ἐποιησάμεθα τῶν σπονδῶν μάρτυρας*). Etiam pacta quae Carthago cum Romanorum republica fecit duo (Pol. III, 22, 24), hospitia publica esse videntur. 5) v. ea quae accuratius hac de re disputaverunt Reinius (Paulyi: Realencycl. t. III, p. 495), Langius (R. A. I^3, 324); equidem ea sola attuli quae ad ipsum propositum pertinere videbantur. 6) Ad regem qui cum P. R. foedus facere volebat legati mitti solebant, qui ab eo exigerent iusiurandum (Liv. XXXVIII, 39). v. Mommseni: Röm. Forsch. t. I, p. 336.

Ipsorum autem foederum *duo* erant genera, quorum alterum *foedus aequum* solae civitates potestate pares ita inter se constituere solebant, ut legibus aliis neque dictis neque acceptis iureiurando ac fide inter se sancirent, ne altera alteram civitatem eiusque socios impugnaret, sed ut etiam in bellis cum aliis gentibus gerendis invicem sibi auxilium ferrent. Sed cum Romanorum potestas magis magisque cresceret, populorum aequis foederibus coniunctorum auctoritatem minuere studebant, ut foedera illa per se aequa re vera non iam aequa manerent. Ita Italiae inferioris urbibus aequis foederibus cum Romanus coniunctis non solum ius dempserunt belli sua sponte gerendi sed etiam iniunxerunt *officium* Romam *semper* mittendarum auxiliarium copiarum[1]).

Sed foederi formula adiecta hac „*ut is populus alterius populi maiestatem comiter conservaret*" diserte significabatur[1]), illum populum in superiore condicione caussaque poni, cuius maiestas foederis sanctione defenderetur. Ita fiebat condicio inter Romam et alteram civitatem, quam Procul. Dig. 49, 15, 7 § 1 optime enarrat his „liber autem populus est is, qui nullius alterius populi potestati est subiectus, is foederatus est item, sive aequo foedere in amicitiam venit sive foedere comprehensum est, ut is populus alterius populi maiestatem comiter conservaret. Hoc enim adiicitur, ut intellegatur, alterum populum superiorem esse, non ut intellegatur, alterum non esse liberum: et quemadmodum clientes nostros intelligimus liberos esse, etiamsi neque auctoritate neque dignitate .... nobis pares sunt, sic eos qui maiestatem nostram comiter conservare debent, liberos esse intelligendum est."

Horum autem foederum *iniquorum* duo erant genera.

I. Unum erat, cum bello victis dicerentur leges, ubi ei qui armis superior fuerat, erat arbitrium, quae ex bonis victi retinerent, quae omitterent. Ita hac occasione data Romani decernere solebant[1]), captivi transfugaeque redderentur, pecunia daretur ad belli sumptum restituendum, agrorum pars aut Romanis aut eius sociis assignaretur, alia. Quibus constitutis qui armis inferior fuerat aut liber et sui iuris manebat aut foederi formula adiecta e qua iubebatur eosdem hostes et amicos habere, atque populus Romanus, socius fiebat[1]).

II. Alterum erat genus, cum qui hostes nunquam fuissent ad amicitiam sociali foedere inter se iungendam coirent. Huius ge-

---

1) v. Marquardtii: Röm. Staatsverw. t. I, p. 45.

neris foedera civitates regesque, cum iutellexissent, Romanorum potestatem esse tantam, quantae pro viribus exiguis resistere nullo modo possent, cum Romanis sua sponte faciebant eoque icto e foederis verbis liberi, re vera sui iuris non erant.

C. *Deditio*[1]).

Si vero quis populus in bello cum populo Romano gerendo non sua sponte armis discesserat, sed vi cogendus fuerat ad pacem faciendam, per deditionem in fidem populi Romani veniebat et acerrimis legibus tenebatur, quam condicionem accurate explicat Polyb. XXVI, 2 verbis his: *'οἱ γὰρ διδόντες αὑτοὺς εἰς τὴν 'Ρωμαίων ἐπιτροπὴν διδόασι πρῶτον μὲν χώραν τὴν ὑπάρχουσαν αὐτοῖς καὶ πόλεις τὰς ἐν ταύτῃ, σὺν δὲ τούτοις ἄνδρας καὶ γυναῖκας τοὺς ὑπάρχοντας ἐν τῇ χώρᾳ καὶ ταῖς πόλεσιν ἅπαντας, ὁμοίως ποταμούς, λιμένας; ἱερά, τάφους, συλλήβδην ὥστε πάντων εἶναι κυρίους 'Ρωμαίους, αὐτοὺς δὲ τοὺς διδόντας ἁπλῶς μηκέτι μηδενός.* Itaque apparet, dediticios non solum non liberos fuisse, sed etiam Romanorum voluntati tamquam servos subiectos.

1) v. Paulyi: Realencycl. t. II, p. 888. Langii: Röm. Alterth. I³, 324 sq. Voigtii: das ius civile t. III, p. 265.

CAPUT I.

DE NUMERO LEGATORUM ROMAM MISSORUM.

A. Legati populorum sociorum.

Quot legatos singulae gentes sociae senatum adire volentes Romam mittere solitae sint, e scriptorum testimoniis haud illico apparet. Eadem enim ratione, qua, cum Romani modo singulos[1]), modo binos[2]), modo ternos[3]), modo quaternos[4]), modo quinos[5]), modo denos[6]) legatos mittant, comparantes nos, qui numerus rarius, qui saepius inveniatur, in universum iudicare possumus, eos consuesse dicere legatos ternos sed exacto bello in provinciam ad res simul cum imperatore ordinandas a senatu Romano missos esse denos more maiorum — ut Livii verbis utar —, eadem ratione de numero legatorum sociorum solum generale iudicium ferre possumus.

Centum legatos Romam anno 697/57 misisse Alexandrinos, ut impedirent, quominus Ptolemaeus ille Auletes, qui e regno a suis expulsus Romam se contulisset, rediret, cum scriptorum testimonia

---

1) Liv. XLII, 5. XXXI, 8. 2) Pol. II, 8. XXXI, 9. 18. XXXII, 1. 26. Liv. XXI, 6. XXVII, 4. XXVIII, 45. XLIII, 4. 5. 11. 3) Pol. XXIII, 1. XXIV, 3. XXXI, 12. 23. XXXIII, 1. 7. 11. XXXVII, 1h. Cic. fam. I, 1. 2. 4. ad Attic. I, 19. Sall. Iug. XXI. Liv. I, 56. III, 25. 31. V, 28. XXVII, 4. XXX, 25. 26. 38. XXXI, 2. 11. XXXII, 2. XXXIV, 59. 62. XXXVI, 3. XLII, 26. 35. XLIII, 5. XLIV, 18. 19. XLV, 4. 42. Val. Max. IV, 3. 9. Plut. Camill. IV. XVII. v. Mommseni: Röm. Staatsr. II, 1, p. 646 adn. 5. 4) Non. p. 529, M. Cic. Phil. IX, 2. Liv. IV, 17. XXXV, 23. Plin. n. h. 34, 6. 5) Sct. de Thisbaeis I fin. Pol. XXXIII, 5. Liv. XXIX, 11. XLII, 6. 37. XLV, 13. 17. Strab. XIV, 1, 38. 6) Pol. I, 63. XVIII, 42. XXII, 7. 25. XXX, 10. XXXIII, 6. XL, 9. Liv. XXIX, 20. XLV, 17. 29. App. Hisp. 99. Pun. 135. Cic. ad Attic. XIII, 6. fam. I, 7. pro Cornelio Balbo XXVII. Verr. II, 2, 13. v. Paulyi: Realencycl. t. IV, p. 846. Marquardtii: Röm. Staatsverwaltung p. 341 adn. 2. Mommseni: Röm. Staatsr. II, 1, p. 646 adn. 7, p. 654 adn. 2.

inter se consentiant[1]) cumque accedat, quod Iudaei[2]) quoque centum legatos ad Antonium mittunt ad accusandum Herodem regem verisimile esse videtur, tot legatos mitti solere, si cuius regis imperio subiecti ipsum dominum accusare volebant.

Sed ut de generali legatorum numero aliquid certi cognoscere possimus, e numeris comparandis legatorum et a Rhodiis et ab aliis saepe Romam missorum haud pauca haurire nos posse, nobis persuasum est, si Polybium sequimur, quem in afferendis legatorum nominibus multo accuratiorem esse, quam Livium, iam Nissenus[3]) recte significavit. Quod enim secundum Polybium[4]) a. U. 585 Rhodii bis miserunt Romam ternos legatos, anno insequenti semel[5]) ternos et cum sex[6]) aliis eiusdem scriptoris testimoniis confirmetur, ternos legatos esse missos, is numerus usu receptus esse videtur. Accedit, quod cum in inscriptione quadam Graeca[7]) et nonnullis locis Ciceronis[8]), Appiani[9]), Iosephi[10]) idem numerus affertur, tum posterioribus temporibus edicto Divi Vespasiani praecipitur omnibus civitatibus, ne plures, quam ternos legatos mittant.

Attamen tantum abest, ut credam, eum numerum semper quasi necessarium fuisse, ut mihi persuasum sit, numquam a sociis pauciores mitti quam *ternos* legatos. Qua cum opinione non pugnare nonnullos locos, in quibus de duobus[12]) legatis aut de uno[13]) dicitur, facillime demonstrari potest. Cum enim scriptores diserte testentur, inter legatos semper fuisse unum[14]) aut duos[15]), qui legationi praeessent et quorum auctoritas maior esset quam ceterorum, cum in senatu verba facere solerent, mirum non est, in nominibus afferendis solos legationis principes — nam ita[14]) dici solebant — significari. Itaque si unus[16]) legatus aut duo nominantur, ii sunt lega-

1) Dio C. XXXIX, 12. Strab. XVII, 1, 11. Cic. Rab. Post. II, 4. Cael. VIIII, 18. Liv. ep. 104. Plut. Cat. min. XXIV. 2) Ioseph. A. I. XIV, 13, 1, p. 255 Bekk. 3) v. Nisseni: die Quellen der 4. und 5. Dekade des Livius p. 28. 4) Pol. XXVIII, 2. XXVIII, 14. 5) Pol. XXIX, 4. 6) Pol. XXIV, 1. XXVI, 1. XXVIII, 1. XXVIII, 18. XXXI, 6. XXXIII, 1 (Gell. VII, 14). 7) C. I. Gr. n. 5882, 5491. 8) Cic. Verr. II, 3, 45, 108. 9) App. Syr. VI, 10. Ioseph. A. I. XIII, 9, 2, p. 172. XIV, 12, 3, p. 252 Bekk. 11) Dig. lib. L. de legat. IV, § 6. 12) Pol. XXIII, 3. XXVII, 7. XXVIII, 1. XXXII, 7. 17. XXXIII, 1. 2. 13) Pol. XXI, 2. XXII, 14. XXIII, 1, 11. XXV, 2. XXVI, 8. XXX, 11. XXXI, 6. 8. XXXIII, 14. XXXVIII, 2 al. 14) Cic. Verr. II, 3, 44. Liv. VIII, 5. XLII, 6. 14. XLIII, 7 al. 15) Liv. XLV, 25. 16) Unum extat apud Pol. XVII, 10, 10 exemplum, a rege Attalo Romam esse missum *μόνον Ἀλέξανδρον,* quod quomodo sit explicandum, me usque ad hoc

tionis principes et in dubio relinquitur, quot legati sint missi. — Cum vero de rebus gravissimis ageretur, fieri potuit, ut legatorum numerus augeretur. Ita Saguntini[1]) ad gratulandum populo Romano de bello Punico secundo feliciter ad finem perducto *decem* legatos, maximae dignitatis homines, Romam miserunt, quod propter ipsos Saguntinos bellum illud periculosissimum Romani susceperant. Similiter Locrenses[2]), cum socii facti apud patres deplorare vellent iniurias, quibus afficerentur a praesidio Romano Locris relicto, *decem* legatos Romam miserunt, quo maior accusationi, quae ad ipsum Scipionem pertinere posset, vis et pondus gravius accederet. — *Quattuor* autem legatos, cum solus Iosephus[3]) a Iudaeis missos commemoret loco, quem suspectum esse Mendelssohnus recte intellexit, is numerus haudquaquam certus esse videtur. *Quinque*[4]) vero legatos a sociis semel iterumve esse missos, mirum non est, quod in legatis mittendis non de legibus certis firmisque sed solo de usu, quem violare nefas non est, sermo esse potest.

B. Legati hostium.

Cum in propatulo sit, bello a populo Romano victos ad pacem faciendam Romam non legationem speciei magnificae et excelsae misisse, haud ita magnum numerum legatorum exspectamus.

Cretensium[5]) vero legatio ad senatum de pace componenda a. U. 685 missa cur triginta hominum fuerit, Diodorus ipse enarrat his, ‘*οἱ πρεσβύτατοι καὶ φρονήσει διαφέροντες συνεβούλευον πρέσβεις ἐκπέμπειν εἰς τὴν Ῥώμην καὶ περὶ τῶν ἐπιφερομένων ἐγκλημάτων ἀπολογεῖσθαι καὶ πειρᾶσθαι τὴν σύγκλητον εὐγνώμοσι λόγοις καὶ δεήσεσιν ἐξιλάσκεσθαι. Διόπερ ἀπέστειλαν εἰς τὴν Ῥώμην τριάκοντα πρεσβευτὰς τοὺς ἐπιφανεστάτους ἄνδρας.* — — Sed de ipso numero legatorum hostium testimonia perpauca extant; Aetolos enim permultos legatos Romam de pace facienda

---

tempus enucleare non posse, libenter confiteor. De Scto de Astypalaeensibus (C. I. Gr. II, no, 2485 vs. 46) et Liv. XLII, 6, v. p. 49 e.

1) Liv. XXVIII, 39. 2) Liv. XXIX, 17. 3) Ios. A. I. XIV, 10, 10, p. 238 Bekk. v. Mendelssohni: Senati Consulta Romana in Ios. Antiqu. p. 246 sq. Cum vero apud Iosephum paragrapho insequenti sint haec ‘*ἔπεμψε δὲ τούτων Ὑρκανὸς τῶν πρεσβευτῶν ἕνα καὶ πρὸς Δολοβέλλαν* sq.’ ita, si locum sanum esse putamus, eius numeri ratio luculenter perspicitur. 4) Pol. XXXVI, 1. Ios. A. I. XIV, 10, 22, p. 243 Bekk. v. Mendelssohni: Scta Rom. sq. p. 217 sqq. 5) Diod. XL, 1. v. Langii: Röm. Alt. III, 204.

misisse a. U. 565 e Polybii testimonio (XXII, 8) apparet, sed ipsa nomina legatorum cum in codicibus oblitterata sint certus numerus inveniri non potest. Sed aliud permagni momenti ex eo loco concludere possumus. Cum enim Polybii verba sint haec ‘*ὁμοίως . . . . ἐξέπεμψαν πάλιν πρεσβευτὰς εἰς τὴν Ῥώμην Ἀλέξανδρον τὸν Ἴσιον ἐπικαλούμενον καὶ Φαινέαν, σὺν δὲ τούτοις * τὸν Ἀμβρακιώτην καὶ Λύκωπον*’, quam maxime verisimile est, in hac legatione Alexandrum et Phaeneam fuisse duos principes; quae cum ita sint, mihi persuasum est, omnibus[1]) locis in quibus de duobus hostium legatis mentio fiat, eos esse principes et aliorum nomina esse omissa. Iugurtha[2]) vero, cum ad pacem faciendam tres legatos Romam mittat, hostes quoque ternos legatos quorum aut singuli[3]) aut bini[4]) verba faciebant Romam ad pacem faciendam mittere solitos esse, non sine ulla probabilitatis specie licet suspicari.

C. Legati populorum qui cum Romanis societatem inire volebant.

De numero legatorum earum gentium, quae sua sponte cum Romanis societatem inire volebant, cum unum testimonium extet certum, Iudaeos[4]) a. U. 615 misisse ad foedus icendum, Numenium Antiochi filium, Antipatrum[5]), Iasonis filium, Alexandrum Dorothei nihil certi iudicare sed tamen suspicari possumus, a populis quoque societatem petentibus ternos legatos mitti solitos esse.

In senati consulto autem de foedere cum Astypalaeensibus faciendo[6]) cum versu 46 ‘*ὁ ἀποσταλείς*’ commemoretur, inde concludere non licet, *unum* fuisse legatum — quin etiam versu 48. diserte dicitur de legatis: ‘*τοὺς πρεσβευτὰς ὑπὲρ τῆς πατρίδος*’ — sed eum fuisse legationis principem. — Item mihi videntur duo illi legati, quorum nomina apud Iosephum[7]) afferuntur, legationi Iudaeorum amicitiam petenti praefuisse.

1) Pol. XXII, 9 coll. 12. XXII, 7. XXVII, 1. XXXIII, 5. 2) Sall. Iug. XXVIII. 3) Pol. XXII, 8. 4) Ioseph. A. I. XIII, 8, 3. XIV, 8, 5. v. Mus. Rhen. XXVIII, p. 586 (Fr. Ritschelii: eine Berichtigung d. rep. Consularfasten) Mendelssohnii l. c. p. 116 sq. 5) Ita pro codicum scriptura *Ἀλέξανδρος* legendum esse cum Ritschelio (l. c.) facio. 6) C. I. G. nō 2485. 7) Ioseph. A. I. XII, 10, 6 coll. I. Macc. VIII, 23. Ioseph. A. I. XIII, 5, 8 coll. I. Macc. 12. v. adn. 4.

CAPUT II.

DE LEGATORUM COMITIBUS.

A. Sociorum legati.

Quamvis certa testimonia desint, sociorum legationes semper cum comitibus venisse, ex nonnullis[1]) tamen scriptorum locis concludere non dubitamus, nulli legationi comitatum defuisse, praesertim si memores sumus, Romanorum[2]) quoque legatorum fuisse comites et ingenuos et servos et libertinos. Sed fieri non potest, ut enucleemus, quot comites habuerint legationes, cum ne uno quidem loco numeri comitum mentio fiat. Quod autem Athenaeus V. p. 273 A. tradidit, tantam fuisse P. Scipionis Africani simplicitatem, ut *semper* eum *quinque* servi comitati essent, nostrae quaestioni adiumento esse non potest. Attamen — nisi fallor — in universum nos iudicare possumus, comites legationum eo plures fuisse, quo plura et ampliora dona et munera socii Romanis afferebant.

B. Reges.

Item nulla fere testimonia extant de regum qui Romam ipsi venerunt comitatu. Semper autem exspectatum esse regum comitatum splendidissimum, ex eo apparet, quod, cum Ptolemaeus Philometor a minore fratre (Ptolemaeo Physcone) e regno pulsus a. 589/165 veniret Romam cum quattuor servis *ἐν ἰδιώτου σχήματι οἰκτρῷ* — ut Diodori verbis utar —, senatus magna admiratione tenebatur[3]). Quae cum ita sint, scriptores[4]) regum adventum commemorantes nunquam occasionem praetermittere solent dicendi de splendido eorum comitatu, sed accuratius numerum non definiunt. Nam Procopii[5]) testimonium, e quo Chosroes quingentos comites

---

1) Cic. Flacc. XVIII. Liv. XXX, 17. XLIII, 7. Micythio enim Chalcidensium legatorum princeps cum pedibus captus lectica in senatum introferatur, per se patet, servos inter comites huius legationis fuisse. 2) Pol. XXXIII, 7. Cic. Acad. IV, 2, 8. v. Paulyi: Realenc. t. II, 523. Marquardti: Röm. Staatsverw. p. 290. Mommseni: Röm. Staatsr. I, 250 sq. 3) Val. Max. V. I, 1. Diod. XXXI, 18 Dind. 4) Pol. XXXVII, 13. Cic. Verr. II, 4, 30. Rabir. Post. III, 6. Liv. XLII, 39. XLIII, 5. XLV, 14. 5) Procop. de bello Pers. II, 28 Dind. *ταῦτα Χοσρόης βεβουλευμένος Ἰσδιγούναν ὡς ἐπὶ πρεσβείᾳ δῆθεν τῷ λόγῳ ἐς Βυζάντιον στέλλει καὶ τοὺς Περσῶν ἀριστίνδην ἀπολεξάμενος πεντακοσίους ξονέπεμψεν.*

legato addidit, si reputamus, quibus temporibus id factum sit quaeque fuerit huius aetatis intemperantia ac licentia, ad nostram quaestionem pertinere non posse sine dubio intelligimus.

Itaque id solum certum esse videtur, reges magno cum comitatu et amicorum et satellitum[1]) Romam venire itaque a senatu aedes, quae ipsum regem comitesque benigne recipiant, conduci. Sed ne ex ea quidem re quicquam concludi potest, cum et Prusiae magno cum comitatu advenienti et Ptolemaeo cum quattuor servis accedenti aedes conducantur.

C. Hostium legati.

De hostium legatorum comitibus cum ne ullus quidem locus quicquam testetur, nihil certi statuentes tantummodo suspicari possumus, pro condicione misera legatorum comites fuisse perpaucos.

D. Populorum qui societatem cum Romanis inire volebant legati.

De comitibus legatorum gentis quae cum populo Romano societatem facere voluit duo extant loci. Valerium enim Maximum referentem, Cn. Cornelium Hispallum praetorem peregrinum a. 615/139 Iudaeis, qui Sabazi Iovis cultu Romanos inficere mores conati erant, edicto imperasse, ut domos suas repeterent, respicere ad Iudaeorum legationis amicitiam petentis comites Mendelssohnius[2]) luculenter demonstrasse videtur; at quantus eorum numerus fuerit, prorsus nescimus.

Alter est locus apud Strabonem[3]), qui secundum Nicolaum Damascenum narrat, Porum Indorum regem ad Augustum imperatorem misisse legationem ad amicitiam impetrandam multa munera afferentem. Haec autem dona portata esse ab octo servis. — Quae cum omnia sint quae hac de re nobis praesto sint, de comitibus legatorum amicitiam petentium certum iudicium ferre non possumus.

---

1) Liv. XLII, 39. 2) Val. Max. I, 3, 3. coll. Ios. A. I. XIV, 8, 5. v. Mendelssohni l. c. p. 116 sq. 3) Strab. XV, 1, 14.

CAPUT III.

DE TEMPORE, QUO LEGATI ROMAM ADVENIRE SOLITI SINT.

A. Sociorum legati.

Cum in quaestione iudicanda, quibus temporibus sociorum legati Romam venerint, nobis propositum sit, indagare, si fieri possit, utrum certis quibusdam anni temporibus socii legatos mittere soliti sint necne, eas legationes, quas *fortuito tempore* advenisse constat, plane omittimus. Nam cum Saguntinis[1]) — ut exempla afferam — anni principio bellum immineret, anni principio Romam miserunt legatos auxilium petentes; contra Hernici[2]), cum eorum fines medio anno Aequi et Volsci depopularentur, Sextili mense Romam legatos miserunt[3]).

1. *Priusquam consules in provincias profecti sunt, venerunt legati:*

a Paesto et Hierone	a. 538/216	(Liv. XXII, 35—38).
Placentinorum et Cremonensium	a. 548/206	(Liv. XXVIII, 11).
Saguntinorum aliorumque populorum	a. 549/205	(Liv. XXVIII, 38).
Ptolemaei	a. 554/200	(Liv. XXXI, 9).
Ardeatium, Carthaginiensium, Narniensium, Cosanorum	a. 555/199	(Liv. XXXII, 1—2).
Attali	a. 556/198	(Liv. XXXII, 8).
Graecorum et Philippi regis	a. 557/197	(Pol. XVIII, 11)[4]).
Ptolemaei et Cleopatrae	a. 564/190	(Liv. XXXVII, 3).
Thessalorum, Eumenis, Athamanorum, Perrhaeborum	a. 569/185	(Liv. XXXIV, 23 sq.) (Pol. XXIII, 6).
Philippi et Eumenis, Thessalorum	a. 570/184	(Liv. XXXIX, 33).

1) Liv. XXI, 6. 2) Liv. III, 6. 3) Itaque iisdem similibusve caussis adducti in quaestione omittimus legationem Nucerinorum et Acerranorum (Liv. XXVII, 3), Locrensium (Liv. XXIX, 17), Masinissae (Liv. XXX, 17), Saguntinorum (Liv. XXX, 21), Attali et Rhodiorum (Liv. XXXI, 2), Atheniensium (Liv. XXXI, 5), Attali (Liv. XXXII, 27), Cenomanorum (Liv. XXXIX, 3), Gallorum (Liv. XXXIX, 54. XLIII, 6. XLIV, 14), Prusiae (Liv. XLV, 44). Cautissime autem iudicandum est de legatorum gratulantium adventu, quia e Polybii apparet testimoniis (Pol. XXII, 1. coll. XXX, 17) eos illico post eas res prospere gestas ad quas pertinebant mitti solere. 4) Haud ita recte Liv. XXXII, 37. v. Mommseni: Chronol. p. 40.

Eumenis aliorumque populorum	a. 571/183 (Liv. XXXIX, 46)[1].
Eumenis, Pharnacis, Philippi aliorumque populorum	a. 572/182 (Liv. XL, 2).
Eumenis, Ariarathis, Pharnacis aliorumque populorum	a. 573/181 (Liv. XL, 18 sq.).
Sardorum Latinorum	a. 577/177 (Liv. XLI, 6—8).
Eumenis et multarum Graecarum gentium Thracum	a. 582/172 (Liv. XLII, 11). (Liv. XLII, 19).
Ptolemaei et Cleopatrae	a. 586/168 (Liv. XLIV, 19).
Antiochi, Ptolemaei et Cleopatrae et multarum Graeciae gentium	a. 587/167 (Liv. XLV, 13—17).
Prienensium[2]	a. 619/135 (C. I. Gr. t. II, n. 2905).
Iugurthae	a. 643/111 (Sall. Iug. 28).

2. *Postquam consules in provincias profecti sunt, venerunt legati:*

Neapolitanorum	a. 538/216 (Liv. XXII, 32).
Sociarum Graeciae urbium	a. 551/203 (Liv. XXX, 26).
Cremonensium et Placentinorum	a. 564/190 (Liv. XXXVII, 46).
Lyciorum	a. 577/177 (Pol. XXVI, 7).

1) Priusquam consules in provincias proficiscuntur, legationes transmarinas in senatum introduxerunt coll. Liv. XL, 2. 19. 2) πρὸ ἡμερῶν πέντε Εἰδυιῶν Φεβροαρίων cf. p. 26 adn. 4. Annum vero a Boeckhio significatum recte constitutum esse non posse apparet e Mendelssohni disputatione de Ios. A. I. XIV, 8, 5 (v. Ritschelii: acta soc. phil. Lips. V, p. 116 sq.). Cum enim nunc constet [nam quae Mommsenus contra Ritschelium et Mendelssohnium in Hermae vol. IX, p. 281 sq. attulit ab iisdem viris doctis refutata esse mihi videntur (Mus. Rhen. XXX, 419 sq.)]. a. 615/139 fuisse L. Valerium L. f. praetorem urbanum eiusque collegam Cn. Cornelium Hispallum, eodem anno Servius Fulvius Quinti filius (C. I. Gr. II, n. 2905 III, 1) στρατηγὸς esse non potuit. Cum vero Fulvius consul esset a. 619/135, a. 616/138 praetor fuisse videtur eoque anno de Prienensibus cum senatu egisse. Iamdudum haec scripsi, cum inveniebam sctum illud de Prienensibus nuperrime esse editum a Lebasio (Lebas et Waddington: voyage archéolog. en Grèce et en Asie mineure III, n. 195—198 explic. p. 77) multo integrius itaque planum esse, *consulem* Servium Fulvium a. 619/135 legatos introduxisse.

Aetolorum et Thessalorum	a. 581/173 (Liv. XLII, 4. 25).
Carthaginiensium	a. 583/171 (Liv. XLIII, 3).
multarum civitátum Asiae et Graeciae	a. 584/170 (Liv. XLIII, 6)[1].
a Cotye rege Thracum	a. 587/167 (Liv. XLV, 42).

Has enarrationes sequentes nos non dubitamus concludere, paullatim eum usum obtinuisse, ut legati mitterentur ad novos consules qui modo magistratum iniissent; huius autem opinionis argumentum est, quod senatui nonnunquam placuit ad novos consules legatos reiici[2]).

Quae cum ita sint, mirum non est, quod, cum etiam Ciceronis[3]) temporibus mos ille esset, A. Gabinii lege de senatu legatis ex Kal. Febr. usque ad Kal. Mart. quotidie dando a. 687/67 diserte est significatum, per totum mensem Februarium[4]) ante omnia legatos Romam missos esse audiendos[5]).

B. Reges.

Duabus de caussis reges ipsi cum Romam veniant, aut ut de bello prospere a populo Romano exacto gratulentur, aut ut alios socios apud senatum defendant aut accusent, bipartitam instituimus quaestionem de regum adventus tempore.

a. *Reges gratulantes.*

Quod iam supra[6]) docuimus, gratulantes illico post eventum prosperum, ad quem pertinent, Romam venisse, in propatulo est, regum quoque gratulantium adventus tempus fortuitum esse. Attamen cum bella anno exeunte perfici solerent, saepe exeunte anno Romam veniebant reges gratulantes. Itaque *Eumenes*[7]) a. 565/189 *ἤδη τῆς θερείας ἐνισταμένης μετὰ τὴν νίκην τῶν Ῥωμαίων*, *Masgabas*[8]) Masinissae filius post victoriam de Perseo reportatam fine

---

1) Huc pertinet sctum de Thisbaeis (Eph. ep. I, 178). 2) Liv. XLI, 6. XLII, 26. 3) Cic. Verr. I, 35, 90. II, 2, 31, 76. Pseudoascon p. 173. 4) Itaque Iudaeorum legati a. 710/44 Romam missi *πρὸ πέντε Εἰδυίων Φεβρο-αρίων* a senatu audiuntur. Ios. A. I. XIV, 10, 10. v. Mendelssohni l. c. p. 240 sq. Mus. Rhen. XXVIII, p. 586. 5) v. Langii: R. A. II², 366, 376, 612. III, 187, 199. Diebus Februarii nefastis senatum haberi posse, demonstravit et exemplis illustravit Langius l. c. et Bardtius in Hermetis t. VII, p. 15 sqq. 6) p. 24 adn. 3. 7) Pol. XXII, 1. Liv. XXXVII, 51. 52. App. XI, 45 8) Liv. XLV, 13. Val. Max. V. I, 1.

anni 586/168, *Prusias*[1]) κατ' ἀρχὰς τοῦ χειμῶνος a. 587/167 Romam venerunt ad gratulandum.

b. *Reges Romae alios accusantes aut defendentes.*

Priusquam consules in provincias irent, Romam advenerunt:

Athenaeus Philippum accusans a. 571/183 (Pol. XXIV, 1. Liv. XXXIX, 46).

Eumenes ad deferenda de Perseo crimina indicandosque belli apparatus a. 582|172 (Liv. XLII, 11. App. Mac. XI. Diod. XXIX, 37).

Attalus de Gallorum tumultu querens a. 587/167 (Pol. XXX, 10. XXXI, 9. Liv. XLV, 19. Diod. XXXI, 7).

idem Attalus suspitiones a Prusia iniectas diluens a. 594/160 (Pol. XXXII, 5).

Ariarathes ad accusandum Orophernem a. 597/157 (Pol. XXXII, 20).

Quae cum ita sint, Attalum Eumenis fratrem et Demetrium Ariarathis filium et Alexandrum Laodicenque cum Heraclide a. 602/152[2]) antequam consules in provincias se contulerunt senatum adiisse, concludere non dubitamus.

Libenter autem concedo, apud Polybium et Appianum et Diodorum in excerptis, quae dicuntur de legationibus, multo saepius commemorari reges Romam venientes; cum vero in illis fragmentis ipsum adventus tempus non certe definitum sit sed semper solis his fere, 'κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν' significetur, fieri non potest, ut multa ex iis ad nostram quaestionem hauriamus. Itaque etsi exemplorum numerus pro fontibus incertis maximus non sit, tamen non nimis audacter contendimus, reges quoque Romam consuesse venire anni principio ad novos consules.

C. Hostium legati.

Non idem valere de legatis hostium ad pacem faciendam Romam venientibus in propatulo est; consules enim cum post victoriam reportatam cum populi victi legatis pacem sua sponte facere non possint, inducias dant tanti temporis, ut victi legatos mittere possint ad senatum iique ad consulem redire possint.

Itaque in contrarium cogitandum esse videtur de advenientibus hostium legatis medio anno. Ita medio anno Romam venerunt legati:

---

1) Pol. XXX, 17. Liv. XLV, 44. App. Mithrid. 2. Diod. XXXI, 15. Dio Cass. fr. Urs. 162. Zonar. IX, 34. 2) Pol. XXXIII, 16.

Tarentinorum a. 545/209 (Liv. XXVII, 21).
Carthaginiensium a. 551/203 (Liv. XXX, 21).
Philippi a. 557/197 (Liv. XXXII, 36). a. 558/196 (Liv. XXXII, 24)[1].
Antiochi a. 565/189 (Liv. XXXVII, 45. 52).
Aetolorum a. 565/189 (Liv. XXXVIII, 10. 12).
Gallorum a. 571/183 (Liv. XXXIX, 54).
Ligurum a. 573/181 (Liv. XL, 34).
Hispanorum a. 603/151 (Pol. XXXV, 2. App. Iber. 49).

Attamen cum casu fortuito facillime fieri posset, ut hostium legati comitiorum quibus magistratus creabantur temporibus advenirent, non mirum est, induciarum tempore non nimis brevi a consule dato ad novos consules eos reiici[1]). Ita ad novos consules reiecti sunt legati Carthaginiensium a. 553/201 (Liv. XXX, 40), Nabidis a. 560/194 (Liv. XXXIV, 43), Aetolorum a. 564/190 (Liv. XXXVII, 1), a. 565/189 (Liv. XXXVII, 49).

D. Populorum qui societatem cum Romanis inire volebant legati.

Principio anni, antequam consules in provincias profecti sunt, cum veniant ad societatem faciendam legati:
Lucanorum a. 457/297 (Liv. X, 11).
Rhodiorum a. 587/167 (Pol. XXX, 5).
Prienensium a. 615/139 (C. I. Gr. 2905).
Iudaeorum a. 621/133 Ioseph. A. I. XIII, 9, 2[2])
populos quoque amicitiam vel foedus petentes novos consules adiisse, non nimis audacter concludimus, etsi concedendum est, Iudaeorum priorem legationem amicitiam petentem exitu anni 615/139 Romam venisse[3]).

1) Philippi legati Romam adveniunt a. 558/196 (Liv. XXXIII, 24), postquam consules creati sunt attamen magistratus nondum inierunt, sed non ad novos consules reiiciuntur. Rectissime de discrepantia Livii et Polybii narrationis disputasse videtur Nissenus: Krit. Unters. üb. d. Quellen d. 4. u. 5. Dekade p. 143. 2) v. Mendelssohni l. c. p. 134 sq. Mus. Rhen. XXVIII, 586 sq.
3) Ioseph. A. I. XIV, 8, 5. v. Mendelssohni l. c. p. 116 sq. Mus. Rhen. XXVIII, 586 sq.

CAPUT IV.

QUAMDIU LEGATI ROMAE COMMORATI SINT.

A. Sociorum legati.

Quod, quamdiu sociorum legati Romae commorentur[1]), cum ex iis rebus quae legationi propositae erant tum e casu fortuito pendere videtur, nos tantummodo in universum iudicare possumus, modo brevius, modo longius per temporis spatium legatos Romae moratos esse. Cum autem constet, omnes sociorum legatos, antequam in senatum introduci possint, non solum apud quaestorem adventum suum nuntiare, dein consuli aut praetori explicare, super qua re venerint, sed etiam eos privatim nobilissimos senatores adire hospitesque visere solere (v. Pol. XXXII, 22[a]) tempus per quod socii legati Romae morantur non nimis breve videtur fuisse.

Legatos vero auxilium in hostium impetum aut iam factum aut imminentem a senatu petentes responsum quam celerrime domum ferre studere per se patet. Itaque si senatui placuit, extemplo i. e. post tres dies (Liv. XLIV, 20) simul cum legatis senatores esse mittendos[2]), legati non per multum temporis Romae mansisse videntur. Sed cum et rarius haec decernat senatus et legati saepe non illico in senatum introducantur, mirum non est, quod alii legati a senatu auxilium petentes[3]) per longius tempus Romae morantur. Quod tempus augeri, si legatis petentibus ipsa in urbe senatus consulto facto satisfit[4]), nemo est qui non concedat.

Multo accuratius vero et certius enarrare possumus, quamdiu Iudaeorum legati a. 710/44 Romam missi in urbe manserint. Iosephus enim (A. I. XIV, 10, 6) senatus consultum affert a. 710/44 Caesare auctore de Iudaeis factum, cuius in extrema parte promittitur, fore ut iis senatus consultum *ἐν ἡμέραις δέκα ταῖς ἁπάσαις, ἀφ' ἧς ἂν τὸ δόγμα γένηται,* detur. Cum autem iis temporibus senatus

1) Ad omnes vero sociorum legationes pertinet lex Gabinia a. 687/67 data, qua impeditum est, quominus legati ante senatum datum nimis diu Romae commorarentur (v. p. 26). 2) Liv. XXI, 6. XXIX, 19, XXXIX, 16. XLIV, 20. 3) Liv. XXXI, 5. XXXIV, 6. XXXIX, 24. 54. XL, 20. XLI, 6. XLIII, 4. 5. Pol. XXIV, 4. XXXI, 7. 18. 4) Liv. XXVIII, 11. XXXII, 2. XXXIII, 24. XXXVII, 46. XXXIX, 3. XLI, 8. XLIII, 17.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

affere, quae in cella Iovis Capitolini ponant, deinde eos a senatu petere, ut Romae sacrificium facere liceat, iure concludi potest, iam ad eas res perficiendas — non unumquemque diem caerimoniis illis aptum fuisse patet — tempus haud ita breve necessarium fuisse.

Denique Rhodiensium legationis illius ad pacem reconciliandam missae condicio quod ab omnibus aliis prorsus abhorret, non dubitamus eam separatim accuratius pertractare.

Totam vero Polybii[1]) legationum Rhodiorum expositionem et dilucidam esse et dignissimam cui credatur, patet; sed num de Livio ita iudicari possit, vehementer dubito. Quo autem facilius intellegatur, Livium Polybium et annalium scriptores ita sequi, ut non dubitet, cum antea Polybio usus sit, subito ad annales refugere, tum regredi ad graecum fontem, accurate examinemus, quae exposuit in libri XLIV. capite XX. usque ad caput. XXV. et in libri XLV. capite III. de Rhodiorum legatione. Caput XIX. et XX. ex Polybio depromptum esse sed Livium in sequentibus ad annales iam antea adhibitos recurrisse, quam luculentissime demonstravit Nissenus[2]); sed ut est Livii mos, subito (c. XXV, 5) e Polybio adiicit nomina legationis principum quidque actum sit post responsum acceptum. Quae postquam inseruit, regrediens ad senatus consultum addit, senatui placuisse, Rhodiis praefectos e Lycia et Caria deducendos esse. *Claudium* autem auctorem fuisse, iam anno 585/169 senatus consultum factum, quo Caras et Lycios liberos esse iusserunt, e Livio (XLIV, 14) apparet. *Polybius* autem non modo demum anno 587/167 hoc decretum factum esse sed etiam senatum paullo alia constituisse, locis annotatione 1 allatis exposuit. *Valerii* autem narrationem totius Livii expositionis fundamentum esse, ideo verisimile videtur, quod in oratione a legationis principe habita (c. XXII, 2) Lycii et Cares in Rhodiorum potestate esse dicuntur. Itaque in propatulo esse videtur, in capitis XXV. paragrapho quinta usque ad sextam inter se annalium et Polybii narrationes neglegenter permixtas esse. Sed inde a paragrapho VI. Livius ad Polybium ita recurrit, ut ad verbum fere vertat, tamen in eo differat, quod narrat, Rhodios coronam XX. millium aureorum misisse[4]).

1) Pol. XXVIII, 2. 14. XXIX, 4. 7. XXX, 4. 2) v. Nisseni: Quellenuntersuchungen über die 4. u. 5. Dekade des Livius p. 31, 274. 3) Liv. XLV, 14 et Nisseni adn. 4) Hac de re v. p. 43 adn. b.

Per se autem patet, Livium etsi libros paullo neglegentius componeret, id tamen vidisse, se in Rhodiorum legationibus narrandis res quam maxime turbasse. Iam cum initio libri XLV. e Polybio de Rhodiorum legatis a. 585/169 pacem componere studentibus narraret, sine dubio memor fuit eorum, quae iam supra his de rebus attulerat; sed ut has duas narrationes inter se complicaret, ex suo ingenio adiecisse videtur ad Rhodios illud 'nondum dimissos' (c. III, 3), ita ut hi legati iidem essent, de quibus supra dixisset. Sed haec explicatio tam absurda est; ut ne neglegentissimo quidem scriptori tribui posse videatur. Nam si nondum dimissi erant legati, paullo ante iis senatum datum fuisse, in propatulo est. Huic autem opinioni obstat cum illud 'vocatos', pro quo exspectaveris 'revocatos', tum mihi nemo persuadere potest, Livium tam neglegenter scripsisse libros, ut non ex ipso senatus consulto illico adiecto vidisset, fieri plane non potuisse, ut Rhodios senatus iam audivisset. Denique si haec explicatio 'nondum dimissos' recta esset, si re vera legati antea nondum auditi essent, legati a. 585/169 senatum adiissent, attamen cum intromissi essent, Romae mansissent; cur vero Rhodii, si senatus tam acerbe respondit, per *anni spatium* Romae manserint, intellegi plane non potest.

Sed est illud 'dimissos' nihil aliud quam Drakenborchii coniectura probabilis, si litteras spectas, falsa, si rerum gestarum nexum perscrutaris. Mihi pro codicum 'nondum missos' scribendum esse videtur 'nondum intromissos' [1]) ita ut de aliis legatis sentiam (quam quos supra Livius attulerit), qui ante nuntium victoriae Romae apud quaestorem nomina detulerunt, attamen post[2]) victoriam sunt intromissi.

B. Reges.

Cum diserte traditum sit, Herodem regem (Ioseph. A. I. XIV, 14, 5 p. 265 Bekk.) per VII dies, Prusiam (Liv. XLV, 44) per XXX dies, Ariarathem (Pol. XXXII, 20) per VII fere menses, Antiochi regis filios (Cic. in Verr. II, 4, 27. II, 4, 30) per duos fere annos Romae commoratos esse, si illa testimonia inter se conferimus, unum constitui posse videtur, reges Romanis amicos diutius quam sociorum legatos Romae commorari potuisse.

---

1) Similiter intromittendi vocabulo utitur Liv. XXVIII, 39. XXXVII, 46. Gell. VI, 3, 6. 2) Recte Pol. XXX, 4; non ita accurate Mommsenus in hist. Rom. I, 2. p. 784.

C. Hostium legati.

Romani cum iam antiquissimis temporibus cognovissent[1]), quam perniciosum esset, hostium legatos diu circa urbem et in Italia commorari, in morem venit, iis hostium legatis, quorum de pace facienda venientium condiciones Romanis non convenirent, denuntiari certum diem, quo ab urbe, certum quo Italia excederent. Sed si in eos atrocissime et gravissime agendum esse putabant, ne audiri[2]) eos quidem senatui placuit.

Pacis vero condicionibus non acceptis legatis *eodem* die urbem relinquendam esse, senatui semper placuit. Ita *Cineae*[3]) Pyrrhi legationis principi, legatis *Aetolorum*[4]) a. 564/190 et a. 565/189, *Persei*[5]) a. 583/171, *Mithradatis*[6]) a. 664/90 denuntiatum est, urbem eodem die relinquerent. Sed non solum Roma, sed ipsa Italia[7]) iis certo temporis spatio excedendum esse senatus iubebat. Ita Italia excedere iubentur Aetolorum[4]) legati missi a. 564/190 et a. 565/189 intra *quindecim* dies, Persei a. 583/171 missi intra *undecim*[8]) dies, iidem eodem anno missi intra *trigesimum*[9]) diem. Iugurthae[10]) autem legati cum Romam adventarent, senatus decrevit, ni regnum ipsumque deditum venissent uti in diebus proximis X. Italia decederent.

Quae cum ita sint, in universum iudicare licet, senatum legatos pace infecta dimissos iussisse, eodem die urbe, intra quoddam temporis spatium (eo brevius, quo magis iratus fuit senatus) Italia excedere. Ea[11]) igitur senatum decrevisse verisimile est de legatis pace infecta dimissis:

Samnitium a. 450/304 (Liv. IX, 45),
Insubrium a. 532/222 (Pol. II, 34),
Carthaginiensium a. 551/203 (Liv. XXX, 23),

---

1) Liv. II, 3, 4. Zon. VIII, 4. Tota de re v. infra p. 55. 2) Pol. XXII. 11. XXXIII, 5. Liv. XLII, 48. Itaque Carthaloni Carthaginiensi, legationis Romanorum apud Cannas captorum principi, lictor est obviam missus, qui dictatoris verba nuntiaret, ut ante noctem excederet finibus Romanis. (Liv. XXII, 58. Cass. Dion. fr. 36 Dd.) 3) App. Sam. 10. Plut. Pyrrh. 19. Zon. VIII, 4. Flor. I, 18. Eutrop. II, 13. v. Niebuhri hist. Rom. III, 563 adn. 844. Mommseni hist. Rom. I, 402. 4) Pol. XXI, 1. Liv. XXXVII, 1. XXXVII, 49. 5) Pol. XXVII, 7. Liv. XLII, 48. App. IX, ἐκλ. 9, 5. Zon. IX, 22. 6) Cass. Dion. fr. 99, 2 Dd. 7) Item Perseus legatis Romanis a. 582/172 imperavit, ut triduo regni sui excederent finibus. 8) Liv. XLII, 36. 9) Pol. XXVII, 7. Liv. XLII, 48. App. IX, 2. Zon. IX, 22. 10) Sall. Iug. 28. 11) Italiae incolas iussos non esse Italia decedere, per se patet.

Philippi regis a. 557/197 (Liv. XXXII, 3),
Ligurum a. 573/181 (Liv. XL, 34),
Bellorum et Tittorum a. 603/151 (Pol. XXXV, 2 App. Iber. 49),
Marsorum Pelignorum aliarum gentium a. 664/90 (App. bell. civ. I, 39).

Similiter senatus legatos ad purganda crimina venientes si reiicit hostesque iudicat, urbe et — si externi erant — Italia excedere iubet.

Ita Latinorum et Hernicorum legatis de Volsci crimine belli a. 373/381 se purgantibus denuntiatum est, facesserent propere ex urbe, ab ore atque oculis populi Romani.

Eadem ratione agit senatus si cum quo populo aut rege foedus solvit Romae coram eorum legatis. Ita Menyllum legatum Ptolemaei maioris a. 593/161 Romae cum alterius Ptolemaei legatione coram senatu disceptantem amicitia soluta patres iussisse *ἐν πένϑ᾽ ἡμέραις ἀποτρέχειν ἐκ τῆς Ῥώμης* Polybius (XXXII, 1) narrat, Diodorus Siculus XXXI, 23 Dd. *ἀπαλλάττεσϑαι ἐν ἡμέραις πέντε ταῖς ἁπάσαις ἐκ τῆς Ἰταλίας* eum dicit. Reputantibus vero nobis Gulussam, Masinissae regis amicissimi filium, *extemplo* (v. Liv. XLII, 24) senatum iussisse proficisci, a patre haud ita accurate instructum, nonne incredibile videtur, ei tam acerbe responderi, Menyllo tam leniter? Deinde cum in paragraphis insequentibus Polybius diserte tradat, 'legatos Romanos ad Ptolemaeum minorem *extemplo* esse missos, nonne mirum est, quod Menyllus quinque per dies Romae manere potest, legati Romani triduo proficiscuntur? Denique quod nunquam iubet senatus, legatos intra complures dies urbem relinquere, sed semper eodem die, cum hoc senatus consultum aptissimum sit, illud quid sibi velit intelligi vix possit. Itaque Polybii narrationem vix dignam esse cui credamus, arbitramur. Neque vero Diodori rationi assentimur, quod ne acerbissimo quidem hosti tam acerbe senatus respondere solet. Itaque hae duae narrationes corruptela obscuratae esse videntur, cui tamen medelam affere vix quisquam possit[1]).

Sed si legatorum pacis condiciones accipiendas esse senatus populusque Romanus censet, ii pace facta socii Romani redditi

1) *Fortasse* genuina fuerunt verba haec: *ἐκ[μὲν] τῆς Ῥώμης εὐϑέως ἀπαλλάττεσϑαι, ἐκ δὲ τῆς Ἰταλίας ἐν ιέ ἡμέραις ἀποτρέχειν,* quae scriba cum oculi ab initio prioris versus ad insequentis simillimum aberrassent, inter se permiscuit et alius quis ita correxit, ut apud Polybium extant, alius aliter, ut sunt apud Diodorum.

sunt itaque in urbem intrare in eaque commorari possunt. Ita Carthaginiensium legati a. 553/201 petentes ut sibi senatus daretur ad novos consules reiecti sunt, sed auditis pace decreta in urbem introire et cum civibus suis captis colloqui licuit. Cum autem (Liv. XXX, 39), postquam Carthaginiensium legati Romam advenerunt, L. Veturius Philo in senatu et in contione de belli felici exitu exponeret, dein supplicationes in triduum decernerentur, dein comitia ad creandos magistratus haberentur, dein de provinciis inter consules lis esset, denique legati in senatum introducerentur, ante senatum datum permultum temporis consumptum esse videtur. Cum autem legati pace facta per plerosque dies Romae manerent dein una cum decem legatis ad res ordinandas missis ad Scipionem proficiscerentur, nobis haec omnia perpendentibus Carthaginiensium legati circiter per viginti dies commorati esse videntur.

Idem fere per tempus Antiochi regis legatos[1]) Romae fuisse verisimile est. Qui cum ἤδη τῆς θερείας ἐνισταμένης Romam a. 565/189 venissent, L. Aurelius Cotta in senatu primum, deinde in contione quae acta in Asia essent exposuit, deinde supplicatio in triduum decreta est, denique legati sunt auditi. Post paucos dies foedere cum Antiocho facto legati aderant, cum decem legati crearentur, atque adeo cum iis senatus summam rerum quam constituit cum legatis communicavit. Denique cum decem legatis in Asiam profecti sunt.

D. Populorum qui societatem cum Romanis inire volebant legati.

Legatos gentium, qui ad societatem faciendam venerunt, tam diu quam volebant Romae manere potuisse, per se patet; sed cum de eius modi legatis ne unum quidem testimonium extet, nihil de ipso temporis spatio per quod Romae manebant statui potest. Sed pertinent huc quae Mendelssohnius exposuit in Actis soc. philol. Lipsiensis Ritschelianae (t. V. p. 116 sq.) de Valerii Maximi l. 3, 3 verbis his „praetor peregrinus M. Popilio Laenate L. Calpurnio cos. edicto Chaldaeos intra decimum diem abire ex urbe atque Italia iussit .... idem Iudaeis qui Sabazi Iovis cultu Romanos inficere mores conati erant, repetere domos suas coegit" A. enim 615/139 Iudaei (Ios. A. I. XIV, 8, 5 v. Mendelssohni l. c.) amicitiam Roma-

1) Pol. XXII, 1. Liv. XXXVII, 52.

norum legatis impetraverunt; quorum comitibus, cum suos ritus Romae inferre conarentur, statim post senatum datum amice suadebatur, ut domos repeterent. Itaque eos eodem die urbem reliquisse verisimile est.

CAPUT V.

QUOMODO LEGATI MAGISTRATUS ADEANT, UT IN SENATUM INTRODUCANTUR.

A. Sociorum legati.

Plut. q. R. XLIII testatur, sociorum legatis Romam venientibus primum quaestorem urbanum[1]) in aerario Saturni fuisse adeundum, ut is magistratus non solum ipsorum legatorum, verum etiam comitum[2]) nomina in tabulis publicis accurate notaret. Quibus rebus perfectis, legatos eum magistratum, a quo in senatum introducerentur, adiisse eique indicasse, qui essent et quibus de rebus Romam venissent petentes ut sibi senatum adeundi potestatem faceret, e Livii testimoniis[3]) luculenter apparet.

B. Reges.

Regem Romam venientem, cum ei obviam mitti soleret quaestor urbanus[4]), qui eum sumptu publico Romam perduceret, per se in-

---

1) Cur quaestorem urbanum adierint, infra (p. 46 sq.) docebimus. v. Mommseni: Röm. Forsch. I, 344 adn. 34. Röm. Staatsr. II, 1, 519. 2) Cic. pro Flacc. XVIII, 43. Ex eodem loco apparere videtur, legatos solos, non una cum omnibus comitibus ad quaestorem venisse. 3) Liv. XXIX, 16. Itaque Gentii, Illyriorum regis, legati, quos Romae speculatores specie legatorum adesse dixerunt, in senatum vocati interrogati sunt, ecquid non adiissent magistratum, ut ex instituto loca, lautia acciperent? sciretur denique venisse eos et suqer qua re venissent! (Liv. XLII, 26). 4) Pol. XXX, 17. Liv. XLV, 13. 44. Val. Max. V. I, 1. Cic. ad fam. XIII, 2, 2. v. Langii: R. A. I³, 887. Mommseni: Röm. Staatsr. II, 1, 519 adn. 5. Neque id mirum est, nam recte Voigtius animadvertit (das ius civile sq. II, p. 257 adn. 268) 'es ist zu beachten, dass die Römer den Staatsbegriff bei Republiken auf den populus (im jur. Sinne) oder die civitas stützen, bei Königreichen dagegen auf den rex'.

telligitur, neque suum nomen neque comitum nomina in Saturni aerario detulisse ad magistratum; sed magno comitatu urbem ingressus ad forum tribunalque summi magistratus rex veniebat eique nuntiabat, quis esset quaque de re senatum adire vellet. Tum ille ei, si vellet, eo die senatum se esse daturum, urbane et liberaliter, ut solet fieri in reges socios, promittebat.

C. Hostium legati.

Hostium legati, cum in urbem non intromitterentur, fieri non potuit, ut in Saturni aerario ad quaestorem nomina deferrent; attamen mirum est, quod senatui semper notum est, legatos hostium Romae propinquare. In ipso vero bello cum hostes victi de pacis condicionibus agentes ad imperatorem Romanorum caduceatorem mittant[1]), aliquis concludere potuerit, item ad senatum mitti caduceatorem nuntiantem, hostium legatos ad urbem propius accedere, praesertim cum accedat, quod apud Graecos[2]) ita fieri solet. Ea tamen sententia cum ne ullo quidem testimonio confirmetur, verisimilitudinis species prorsus obscuratur; deinde si re vera legati Romanorum apud Cannas captorum[3]) aut Iugurthae[4]) ad senatum antea caduceatorem misissent, patres sine dubio ei respondissent, quae de legatione accipienda sentirent neque lictorem iis obviam misissent.

Itaque prorsus aliter hac de re sentimus. Imperatorem enim Romanum, cum constet[5]), cum legatis de pace agentibus non illico pacem sed tantummodo inducias facere posse, per quod tempus ii ad senatum legatos mittant, quid mirum est, quod antea litteris imperatoris senatus certior fit, qui legati et quibus cum mandatis de pace Romam veniant? (Liv. XXXIII, 24). — De pace vero venientes legati si una cum Romanis legatis veniunt, senatui antea de rerum condicione ab iis expositum esse, per se patet[6]). Denique si imperatore Romano, quocum bellum gerant, inscio hostium legati de pace Romam proficiscuntur, tamen verisimile est, nuntium antea Romam afferri, eos urbi appropinquare.

---

1) Liv. XXXVII, 45. 2) Thucyd. I, 53. Pol. IV, 72. Eustath. ad Iliad. I, p. 83. Demosth. de fals. leg. p. 392, 15. v. Wachsmuthi ius gent. Graec. p. 46. 3) Liv. XXII, 61. 4) Sall. Iug. 28. 5) Liv. VIII, 1. X, 5. 37. XXX, 16 sq. XXXII, 36. XXXIII. 24. XXXVI, 27. 28. 35. XXXVII, 45. 52. XXXVIII, 8. XL, 34. XLII, 48. v. Langii: R. A. II², 403 sq. 6) Liv. XXX, 21. XXXII, 36. XXXIII, 24. XXXVII, 49. 52. XXXVIII, 10.

Itaque cum Romam allatum esset, hostium legatos de pace Romae urbi propinquare, summus magistratus senatum interrogabat, quid ei his de legatis placeret[1]).

D. Populorum qui societatem cum Romanis inire volebant legati.

Quamvis testimonia non extent, quomodo legatis ad societatem faciendam Romam venientibus occasio fiat senatum adeundi, tamen ii videntur, prorsus ut socii, primum quaestorem deinde summum magistratum adiisse a quo in senatum introducerentur.

CAPUT VI.

DE DONIS PUBLICIS A LEGATIS ROMAM ALLATIS.

A. Sociorum legati. Reges. Populorum qui societatem inire volebant, legati.

1. Quibus occasionibus datis dona Romam allata esse.

a. *Post victoriam reportatam* cum mos esset, ut imperatori Romano victori coronae triumphales „quae antiquitus e lauru erant, post fieri ex auro coeptae sunt“ gentes sociae „pro suis quaeque facultatibus“ afferrent[2]) mirum non est, quod gentes Romam venientes de magna victoria gratulatum dona afferebant[3]), quae accipere Romani non dubitant. Ita cum donis veniunt legati:

1) Sall. Iug. 28. 2) Gell. N. A. V, 6. Pol. XXII, 11. Liv. XXXVIII, 37. XXXIX, 6. Cic. in Pison. XXXVII, 90. v. Paulyi: Realenc. I, 2, 2182. Langii: R. A. III, 285. 3) Itaque recte ait Astymedes, Rhodiorum legationis princeps (Liv. XLV, 22) „antea Carthaginiensibus victis, Philippo, Antiocho superatis cum Romam venissemus ex publico hospitio in curiam gratulatum vobis, patres conscripti, ex curia in Capitolium ad deos vestros *dona ferentes*....“

Latinorum et Hernicorum gratulatum de concordia patrum ac plebis a. 308/446 (Liv. III, 57),
Carthaginiensium gratulatum de victoria de Samnitibus reportata a. 414/340 (Liv. VII, 38),
Saguntinorum de rebus gratulantes a P. Scipione in Hispania gestis a. 549/205 (Liv. XXVIII, 39).
Philippi regis gratulantes de victo Antiocho 563/191 (Liv. XXXVI, 35).

Quae cum ita sint, dona attulisse Ptolemaei quoque legatos a. 564/190 gratulantes, quod M'. Acilius consul Antiochum Graecia expulisset (Liv. XXXVII, 3) et Antiochi legationem a. 586/168 (Liv. XLV, 13), Prusiaeque a. 587/167 gratulantes (Liv. XLV, 44), quod Perseus victus et captus esset, concludere nos non dubitamus.

b. Legationes quae Romam veniunt aut ut societatem ineant aut ut societatem iam prius factam confirment, semper publica dona secum ferre, e permultis exemplis apparet his.

Cum donis Romam venerunt:

α) *ad societatem faciendam*:

legati Ptolemaei II. Philadelphi a. 481/273[1]),
Lampsacenorum a. 584/170 (Liv. XLIII, 6),
Rhodiorum a. 587/167 (Pol. XXX, 5. Liv. XLV, 25),
Iudaeorum a. 615/139 (Ios. A. I. XIV, 8, 5)[2]).

β) *ad societatem renovandam*:

Athenaeus Eumenis frater a. 571/183 (Pol. XXIV, 1),
legati Antiochi regis a. 581/173 (Liv. XLII, 6),
Alabandenses a. 584/170 (Liv. XLIII, 6),
Pamphyliorum a. 585/169 (Liv. XLIV, 14).
Antiochi regis a. 585/169 (Pol. XXVIII, 18),
Orophernis a. 597/157 (Pol. XXXII, 20),
Tryphonis a. 611/143[3]) (Diod. XXXIII, 28).

c. Fit etiam, ut legationes gratias agentes dona Romam afferant, quae libenter accipiantur. Ita legati a rege Attalo missi gratias senatui agentes, quod Antiochus legatorum Romanorum

1) Liv. ep. XIV. Iustin. XVII, 2. Eutr. II, 9. Val. Max. IV, 3. 9. Dio C. fr. 41 Dd. Zon. VIII, 6 B. 2) I. Macc. XIV, 24. v. Mendelssohni scta Rom. ap. Ios. p. 116 sq. Mus. Rhen. XXVIII, 586 sq. 3) Hoc de anno v. quae disputavit Muellerus fragm. hist. II, 20. De ipsa re v. p. 40.

auctoritate commotus e finibus regis exercitum deduxisset coronam auream in Capitolio a. 556/198 posuerunt (Liv. XXXII, 27)[1]).

d. Sed si Romani in periculis maximis versantur, sociorum dona ad auxilium allata aut non accipiunt aut, ne eorum animos offendant, id solum e muneribus, quod minimi pretii est, accipiunt.

Ita e donis Neapolitanorum legatorum post Cannensem cladem venientium solam pateram minimi pretii accipiunt (Liv. XXII, 32); sed prorsus reiiciuntur dona:

legatorum a Paesto post pugnam Cannensem missorum (Liv. XXII, 37).

legatorum Carthaginis
Masinissae
Ptolemaei } venientium ante bellum cum Antiocho gerendum (Liv. XXXVI, 4)[2]).

Quae Romanorum ratio cum nota esset, non ignarus verecundiae eorum Hiero donum auri, quod post pugnam Cannensem mittere voluit, in habitum Victoriae formavit, ut Romani religione moti regis munificentia uti cogerentur. Quae quidem spes eum non fefellit; nam re vera Victoria omenque est acceptum. Eadem caussa adductus Trypho, Antiochi filio impubere occiso, ut amicitia renovaretur, Victoriam auream a. 611/143 misit, quam senatus accepit sed *καὶ τὴν εὐφημίαν μετὰ τοῦ λυσιτελοῦς ἐτήρησεν, ἀντὶ δὲ Τρύφωνος μεταχρηματίσασα τὴν δόσιν εἰς τὸν ὑπ᾽ αὐτοῦ δολοφονηθέντα βασιλέα τὴν ἐπιγραφὴν ἐποιήσατο* (Diod. XXXIII, 28, Dd.).

2. De ipsis muneribus.

a. *Qualia sint munera et quae de iis fiant.*

Ut imperatori victori triumphales coronae aureae a gentibus sociis afferuntur, ita Romam post magnam victoriam mittuntur *coronae aureae* (*στέφανοι*); sed paullatim in morem venit, socios quibuscunque occasionibus datis pro donis Romam ferre coronas aureas.

Quae munera, quibus — ut erat veterum consuetudo — inscripta fuisse nomina eorum qui dona quamque ob caussam Romam

---

1) Itaque fortasse Ptolemaei quoque legati (Liv. XLV, 13) Romae gratias agentes publica dona secum tulerunt. 2) Philippi dona eodem tempore allata accipiuntur, quod eius fidei Romani non nimis credere videntur.

misissent, firmissimis testimoniis confirmatum est [1]), si senatus accipienda esse censuerat, in Capitolio in cella Iovis optimi maximi a legatis posita esse, Livius alii scriptores diserte tradiderunt [2]).

Item alia munera Romam missa et Victoriam auream Hieronis et *Νίκην χρυσῆν* Tryphonis (Diod. XXXIII, 28[a]) [3]) et clipeum aureum Iudaeorum (Ios. A. I. XIV, 8, 5) legati in cella Iovis in Capitolio posuerunt [4]). Sed si pateras aut vasa legati [5]) ferebant, ea censores [6]) accipiebant et ex arbitrio in templis in quibus videretur ponebant.

Denique si socii munera utilia in bello gerendo afferebant, ea ad imperatorem Romanum deportata esse, per se intelligitur [7]).

b. *De munerum pretio.*

Gratiam aliquam a legentibus inituros nos speramus, si hoc loco omnium donorum, quae scimus Romam esse lata, et rationem et pretium ita enarrabimus, ut non solum ad Romanorum, verum etiam ad nostram pecuniarum rationem nuper constitutam respectum habeamus. Qua in re Hultschium [8]) sequentes nos *auri pondus e IV millibus HS, talentum e viginti quattuor millibus HS, Philippeum e circiter nonaginta septem HS* constare ponimus atque ita ex Hultschii tabula XIX, p. 313 accuratissime composita haurientes ad nostram rationem pervenimus.

---

1) C. I. Gr. 5880, 5881. Ios. A. I. XIV, 3. 1. Diod. XXXIII, 28 extr. Dd. 2) in cella I. O. M. (Liv. VII, 38. XLIV, 14. Cic. Verr. II, 4. 28. 64) in Capitolio (Liv. II, 23, III, 57. XXII, 37. XXVIII, 39. XXXII, 27. XXXVI, 35. XLIII, 6) *ὅπως εἰς τὸ Καπετώλιον* sq. (Sct. de Thisbaeis v. 32). *ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Διὸς τοῦ Καπετωλίου* (Ios. A. I. XIV, 3. 1). 3) v. Ryke de Cap. c. 23, p. 295 sq. 4) Cic. Verr. II, 4, 28, 64 de candelabro e gemmis clarissimis, quod donum reges Syriae, regis Antiochi filii pueri, in Capitolio in cella Iovis optimi maximi ponere voluissent, multa verba fecit. 5) Liv. XXII, 32. 36. XLII, 6. 6) v Langii: R. A. I[3], 813 sq. Mommseni: Röm. Staatsr. II, 1, 409. 7) Liv. XXII, 37. XLIII, 6. 8) v. Hultschii: Gr. u. r. Metrologie p. 313. p. 185 coll. 186. p. 165 adn. 5. p. 177. 180 adn. 7.

Tabula.

Carthaginienses a. 414/340 (Liv. VII, 38) afferunt	gratulantes de victoria de Samnitibus reportata	coronam auream pondo XXV	100000 HS	17541 'Rmk.'
Alabandenses a. 584/170 (Liv. XLIII, 6) afferunt	ad confirmandam amicitiam	coronam auream pondo L	200000 HS	35082 'Rmk.'
Lampsaceni a. 584/170 (Liv. XLIII, 6) afferunt	petentes ut in societatem recipiantur	coronam auream pondo LXXX	320000 HS	56131,20 'Rmk.'
Philippi regis legati a. 563/191 (Liv. XXXVI, 38) afferunt	gratulantes de Antiocho victo	coronam auream pondo C	400000 HS	70164 'Rmk.'
Iudaei[a] a. 615/139 (Ios. A. I. XIV, 8, 5) afferunt	petentes ut in societatem recipiantur	clipeum aureum ἀπὸ χρυσῶν μυριάδων πέντε	750000 HS	131958 'Rmk.'
Rhodiorum[b] legati a. 587/167 (Pol. XXX, 5) afferunt	de Romanorum clementia laeti et foedus facere conantes	coronam auream ἀπὸ μυρίων χρυσῶν		
Ariarathis legati a. 593/161 (Pol. XXXII, 3) afferunt	amicitiam renovantes	"		
Demetrii legati a. 594/160 (Pol. XXXII, 6) afferunt	culpam de caede Cn. Octavii a rege avertentes et amicitiam renovantes	"	970000 HS	170148 'Rmk.'
Tryphonis legati a. 611/143 (Diod. XXXIII, 28a Dd.) afferunt	ad amicitiam faciendam	Νίκην χρυσῆν ἄγουσαν ὁλκὴν χρυσίνων μυρίων		
Attali regis legati a. 556/198 (Liv. XXXII, 28) afferunt	gratias agentes quod Romanorum auctoritate commotus Antiochus regis e finibus exercitum deduxisset	coronam auream pondo CCXLVI	984000 HS	172603 'Rmk.'
Antiochi regis legati a. 585/169 (Pol. XXVIII, 18) afferunt	ad amicitiam renovandum	coronam auream talentorum L	1200000 HS	210492 'Rmk.'
Hieronis[c] legati a. 538/216 (Liv. XXII, 37) afferunt	post pugnam Cannensem ominis caussa	Victoriam auream pondo CCCXX	1280000 HS	224525 'Rmk.'
Athenaeus Eumenis frater a. 571/183 (Pol. XXIV, 1) affert	ad confirmandam amicitiam	στέφανον ἀπὸ μυρίων καὶ πεντακισχιλίων χρυσῶν	1455000 HS	255225 'Rmk.
Pamphylii[b] legati a. 585/169 (Liv. XLIV, 14) afferunt	amicitiam renovantes	coronam auream e XX millibus Philippeorum factam	1940000 HS	340295 'Rmk.'
Antiochi regis legati a. 581/173 (Liv. XLII, 6) afferunt	amicitiam renovantes	vasa aurea pondo D	2000000 HS	350820 'Rmk.'

a. Non esse 'aureos' intellegendos sed siclos quorum quinquaginta minam efficerent (v. Boeckhius: metrol. Unters. p, 53. Hultschii: gr. u. r. Metr. p. 273) ut sane mille minis (I. Macc. 15) responderent, rectissime significavit Mendelssohnius (Sct. Rom. ap. Ios. p. 154).

b. Cum negari non possit, Livii contextum narrantis (XLV, 25), Rhodios coronam viginti millium aureorum misisse, non ita corruptum esse ac Polybii, plerique censuerunt Polybii μυρίων esse corrigendum in δισμυρίων. Sed Dindorfium et Hultschium huic sententiae rectissime non plausisse sed optime tenuisse codicum scripturam nunc demonstrare conabor. Quamvis sane sit concedendum, cum Polybii verba magis et saepius depravata sint quam Livii, in universum verisimile esse, e Livio Polybium corrigi posse, tamen obscuratur verisimilitudinis species, si perscrutamur, quam neglegenter Livius hoc loco usus sit fontibus (v. supra p. 31). Tres enim fontes ei praesto fuisse atque adeo hac in parte sine ulla caussa modo hoc modo illo scriptore uti Livium cum supra (p. 31) docuerimus, quid impedit, quominus eum, qua sit natura (v. Nisseni l. c. p. 20—85), maiorem numerum, quem legit in annalibus (de ratione annalium numeros in maius extollendi v. Nisseni l. c.) Polybii minori praetulisse, arbitremur? Sed accedit aliud gravissimum argumentum. Conferentibus enim nobis, quae scriptores afferant de coronis a gentibus Romam dono missis earumque pondere et pretio Polybii μυρίων verisimilius usuique aptius esse apparebit. Tres enim reges opulentissimos Romam dona decem millium aureorum misisse, supra docuimus. Cum autem pondera coronarum aurearum mire his locis inter se consentiant cumque accedat, quod apud Athenaeum V, p. 202 b quoque talis corona commemoratur decus splendidissimum, repellere vix ausim, exteris gentibus regibusque, si splendidum quod donum Romam mittere vellent, usum fuisse decernendi coronam auream decem millium aureorum. Quod autem Livius affert, Pamphylios legatos attulisse coronam e XX millibus Philippeorum factam, iam dudum viri docti intellexerunt aut illum numerum ad annalium rationem esse referendum aut quod mihi probabilius videtur scribae errore esse depravatum.

Itaque hunc in Polybii locum inferre possumus aut insolitum et inauditum numerum e Livio aut solitum et aliis locis comprobatum tenemus, Livii auctoritate repulsa, μυρίων. Hanc autem rationem cum aptiorem esse rectae arti criticae nemo negare possit, non dubito in vulgata scriptura permanere.

c. Val. Max. IV, 8, 1 Victoriam auream Hieronis fuisse pondo CCXL tradidit (CCXL = 960000 HS = 168399 'Rmk.'). Sed eum in fontibus utendis neglegentissum fuisse, Kempfius prolegg. ad edit. Berol. 1854 p. 26—33 docuit; itaque hac quoque in re eius auctoritas nihili fere aestimanda esse videtur.

Hostium vero legatos de pace venientes munera publica nunquam afferre, adiici vix opus esse videtur.

CAPUT VII.

ET SUMMUM MAGISTRATUM ET SINGULOS SENATORES A LEGATIS SAEPE PECUNIA ESSE CORRUPTOS.

Sed non solum *publica* dona legati afferre solebant, sed etiam *privatim* et hospitio privato coniunctorum senatorum animos impellebant et patres nobiles auctoritateque excellentes (ut senatus principem), quicunque erant, pecuniis dandis corrumpere conabantur, ut in senatu in suam gratiam sententias dicerent. Imprimis autem eum magistratum qui legationes in senatum introduxit, pecunia data commovere studebant, et ut sibi senatus mature daretur et ut, si multae legationes Romae adessent[1], prius quam aliae admitterentur. Ita iam Cineas Pyrrhi legatus et Romanos pecuniis et eorum mulieres mundo muliebri dando commovere conatus est, *ἵνα εἰ καί τινες τῶν ἀνδρῶν ἀντίσχοιεν, αἱ γυναῖκες αὐτῶν τοῖς κόσμοις ἀποπεισθεῖσαι κἀκείνους συνδιαφθείρωσιν*[2]; sed, quae erat iis temporibus Romanorum abstinentia, eius dona nemo accepit. Sed prisca illa Romanorum virtus non diu valuit. Ultimum videtur fuisse exemplum abstinentiae, qua floruerunt M. Aemilius Lepidus, Pontifex Maximus et senatus princeps atque L. Aemilius Paullus. Charops enim Epirota, cum in patria rerum potitus multa scelera commisisset, Romam a. 596/158 venit et assequi apud senatum conatus est, ut omnia quae fecisset senatus consulto comprobarentur. Quae ut efficeret, plerosque senatores aperte pecunia oppugnavit. Sed cum ea viri illi abstinentissimi cognossent, tantum abfuit, ut ei morem gererent, ut etiam eum domos intrare vetarent[3]).

Sed inde a temporibus Gracchanorum tumultuum Iugurthinique belli animi humilitas ita omnes invaserat, ut a. 660/94 constitueretur senatus consulto, ne quis Cretensibus pecuniam mutuam daret[4]),

1) Schol. Bob. p. 259 sq. v. infra p. 59. 2) Liv. XXXIV, 4. Plut. Pyrrh. XVIII. Iustin. XVIII, 2. Zon. VIII, 4. Val. Max. IV, 3. 14. 3) Pol. XXXII, 22. 4) Asc. 57. Langii: R. A. II², 410.

idemque a. 685/69[1]) referretur ac renovaretur. Sed neque hoc senatus consultum neque lex Gabinia a. 687/67, qua legati impediebantur, quominus ante senatum datum patrum animos pecunia oppuguarent, — quod, cum advenissent, quam celerrime in senatum introducebantur, — priscam morum integritatem revocare potuit. Quin etiam C. Cornelii rogationem, ne quis legatis exterarum nationum expensam ferret, non acceperunt, quod omnes fere senatores talibus in negotiationibus numariis versabantur. Itaque mirum non est, quod Ptolemaeus Auletes[2]), qui maximis pecuniis datis rex Aegypti et socius et amicus populi Romani factus erat, cum ab Aegyptis expulsus Romam a. 697/57 venisset, efficere potuit, ut Alexandrinorum legatio centum virorum, quae venisset ad impediendum, quominus Ptolemaeus in regnum Romanorum auxilio rediret, nonnullis eorum legatorum occisis, omnibus fere senatoribus corruptis in senatum non introduceretur.

Itaque de his et de insequentibus temporibus rectissime iudicasse videtur Cato, rarius inveniri eum, qui pecuniam contemneret quam qui magnam victoriam reportasset[3]).

1) Dio C. fr. 111, 3 Dd. Langii: R. A. III, 199 sq. 2) Dio C. XXXIX, 12 sq. Cic. Rab. Post. II, 4 ad fam. I, 1. 1. v. Langii: R. A. III, 274 sqq.
3) Exempli caussa afferamus Gell. XI, 10. Ios. A. I. XIV, 14, 3. Plin. ep. V, 4, 13.

CAPUT VIII.

QUOMODO LEGATI ROMAE EXCEPTI SINT.

A. Sociorum legati.

1. *Locus lautia munus.*

Ex iis locis, quibus Livius[1]) diserte tradit sociorum legatis a quaestore urbano[2]) locum lautiaque praebita et munera esse missa, aliquis concludere potuerit, omnia hospitalia non data esse, nisi post senatum datum. Sed — si omittimus, quam perversum sit, si sociorum legatis per nonnullos dies senatum exspectantibus hospitium publicum non detur, sed iis quae apud senatum voluerunt assecutis domosque profecturis tum demum hospitii officia praebeantur — cum et amicitia facta officia hospitii certe constituta sint, et hostium legati (v. infra p. 55) advenientes modo in villam publicam statim deducantur iisque locus lautia praestentur, et ipse senatus in Illyrios (Liv. XLII, 26) specie legatorum Romam missos acerbe invehatur, cur non adierint magistratum, ut ex instituto loca lautia accipiant et Astymedes Rhodiorum legatus a. 587/167 ante patres queratur, Rhodiorum legatos antea ex publico hospitio nunc ex sordido deversorio in curiam venisse (Liv. XLV, 32), certum esse videtur, sociorum legatis Romam venientibus statim[3]) hospitalia praeberi. Sed nunc quaeritur, utrum loca lautia et munus eis nomina in aerario Saturni deferentibus quaestor urbanus statim locaverit miseritque, an munus post datum senatum

1) Liv. XXVIII, 39. XXX, 17. XLII, 6. 2) v. supra p. 10 sqq. p. 36 sqq. *Praetor* nonnullis locis (Liv. XXX, 17. XLII, 19. XLIV, 16. XLV, 13) pro quaestore nominatur, sed is magistratus tantummodo hospitalia a quaestore urbano praebenda curabat [v. Weissenborni adn. ad Liv. XLV, 13. Sctum de Prienensibus (Lebas III, 77) lin. 13 '*ἀπὸ σεστερτίων νόμων ἕκατον εἴκοσι* [**Σέρουιος** *Φ*]*όλουιος Κοΐντου ὕπατος τὸν ταμίαν ἀποστεῖλαι κελεύσῃ*' cum doceat, consulem quaestorem iubere munus mittere, per se patet, praetorem quoque hoc facere posse saepeque paullo neglegentius a scriptoribus solum praetoris nomen afferri]. 3) Itaque Livius iis locis, quos supra (v. adn. 1) significavimus, cum narrasset senatum esse datum, omnia quae praebita essent et ante et post senatum datum paullo neglegentius complexus est.

missum sit. Cum vero supra (p. 12) significaverimus, munus prorsus necessarium non esse sed officii caussa dari, cumque accedat, quod et muneris pretium varium est et Livius semper[1]) narrat, *post senatum praebitum* patres munera legatis mitti iussisse, concludi potest, de muneribus senatus consultum[2]) peculiare fuisse opus. —

Quae cum ita sint, duae rationes excogitari possunt, e quibus senatus per quaestorem urbanum sociis legatis hospitium praebuerit. Aut enim, quotiescunque sociorum legatos Romae appropinquare allatum erat, quaestor senatum adiit, ut sibi potestas daretur, dandi advenientibus legatis loca lautiaque aut sua sponte eos in publicum hospitium deducere potuit. Sed cum permultae legationes anni principio Romam venire soleant, cogitari vix potest, quaestorem urbanum de singulis senatum adiisse, sed multo simplicius et aptius esse videtur, quaestorem urbanum[3]) sua sponte legatis loca lautia[4]) praebere, post senatum vero datum eum munera mittere e senatus consulto a consule aut praetore iuberi[5]). Propter multitudinem vero legatorum senatum adeuntium posterioribus temporibus locum lautia non iam praebita esse, Plut. q. R. 43 quamvis referat, tamen quibus temporibus mos ille in desuetudinem venerit certe constitui vix potest[6]).

2. *Munus.*

Ut munera publica a sociis Romam missa supra, ita hoc loco munera a Romanis data una tabula[7]) complectenda esse censuimus.

---

1) Livius ter narrat, sociorum legatis loca lautia esse data, quindecies ea omittit, quae statim data esse per se intellegitur, et nihil narrat, nisi patres munera mitti iussisse. 2) Liv. XXXI, 9. 'Munera deinde legatis (Philippi regis) in singulos quinum millium aeris *ex senatus consulto* missa'. 3) Qui essent socii, quaestor urbanus non nesciebat. v. Mommseni: Röm. Staatsr. II, 2, 513. 4) Si senatui placuit, in aedes liberas legatos esse deducendos, quid impedit, quominus putemus, post senatum datum quaestorem eos e locis sollemnibus in aedes liberas deduxisse? 5) Itaque in extrema parte sctorum de sociis factorum semper de muneris summa, nunquam de loco lautiis mentio fit. (v. infra p. 70.) Reinio vero (v. Paulyi: Realenc. IV, 849) arbitranti, locum lautia et munera posterioribus temporibus non esse data sociis, nisi senatu adito, ideo assentiri non possumus, quod Rhodii (Liv. XLV, 20 unus est locus quem Reinius affert) utrum socii essent necne non extra dubitationem positum erat itaque non mirum est, quod M. Iunius consul patres consulit, num locum lautia senatumque dent i. e. num Rhodios habeant socios. 6) De munere v. p. 50. 7) Omnia fere iam Mommsenus: Röm. Forsch. I, 345 enarravit.

Tabula.

Prienensium[a] et Samiorum legati Romam a. 619/135 veniunt (C. I. Gr. II, 2905. Lebas III, 77)	renovantes amicitiam cum populo Romano et finium confirmationem postulantes	*τούτοις δὲ ξένιον εἰς ἑκάστην πρεσβείαν ἕως ἀπὸ σεστερτίων νόμων ἕκατον εἴκοσι ὕπατος τὸν ταμίαν ἀποστεῖλαι κελεύσῃ*[f]	21,05 'Rmk.'
Regis Gallorum Cincibili et Carnorum Histrorumque et Iapydum legati Romam a. 584/170 veniunt (Liv. XLIII, 5)	de C. Cassio querentes	munera mitti legatis *ex binis*[b] *millibus · aeris*[c] censuerunt et comitibus eorum vestimenta liberis servisque	
Multarum Graeciae Asiaeque civitatium legationes Romam a. 584/170 veniunt (Liv. XLIII, 6)	commemorantes quae imperatoribus Romanis praestiterunt et ad bellum auxilia pollicentes	legatis in singulos *binum millium aeris* munera missa	
Carthaginiensium et Masinissae legati Romam a. 584/170 veniunt (Liv. XLIII, 6)	ad bellum auxilium ferentes		350,82 'Rmk.'
Chalcidensium legati a. 584/170 Romam veniunt (Liv. XLIII, 7)	C. Lucretium et L. Hortensium accusantes	*binum millium aeris* legatis munera missa et vehicula Micythioni publice locata, quae eum Brundisium commode perveherent	
Pamphylii legati Romam a. 585/169 veniunt (Liv. XLIV, 14)	amicitiam renovantes	*binum millium aeris* singulis missum munus	
Rhodiorum[d] legati Romam a. 585/169 veniunt (Liv XLIV, 15)	bellum inter Romanos et Persea componere studentes	munus legatis in singulos *binum millium aeris* missum est, quod ii non acceperunt	
Ab Cotye rege Thracum legati Romam a. 587/167 veniunt (Liv. XLV, 42)	nonnullos obsides redimere conantes	Thracibus munera data in singulos *binum millium aeris*	
Ab Ptolemaeo et Cleopatra legati Romam a. 564/190 veniunt (Liv. XXXVII, 3)	gratulantes, quod M'. Acilius Antiochum regem Graecia expulit	legatis munera dari iussa in singulos *quaternum millium aeris*	701,64 'Rmk.'
Masinissae legati Romam a. 551/203 veniunt (Liv. XXX, 17)	gratulantes quod P. Scipio res in Africa prospere gessit	legatis in singulos dona ne minus *quinum millium*, comitibus eorum millium aeris et vestimenta bina legatis singula comitibus Numidisque e custodia emissis; ad hoc aedes liberae loca lautia legatis decreta	877,5 'Rmk.'
A Ptolemaeo legati Romam a. 554/200 veniunt (Liv. XXXI, 9)	interrogantes num Atheniensibus in Philippum auxilia mittere debeant	munera legatis in singulis *quinum millium aeris* ex senatus consulto missa	
Saguntinorum legati Romam a. 549/205 veniunt (Liv. XXVIII, 39)	gratulantes de bello prospere gesto	locus inde lautiaque legatis praeberi iussa et muneris dari ne minus *dena millia aeris*. Et petentibus Saguntinis ut quatenus tuto possent Italiam spectatum irent duces dati litteraeque per oppida missae commendaticiae	1754,10 'Rmk.'
Ab Antiocho[e] *rege* legati Romam a. 581/173 veniunt (Liv. XLII, 6)	amicitiam renovantes	legato *centum* millium aeris munus missum et aedes liberae hospitio datae sumptusque decretus	17541 'Rmk.'

a. De anno quo Prienensium legati Romam venerint cf. p. 25 adn. 2. De ipsa summa pecuniae v. p. 49 adn. f.

b. Quod sociorum legatis solent munera mitti e binis millibus aeris, Mommsenus recte constituit, in universum minus donum legatis non dari. Cum vero apud Livium (XLII, 24) munus ex instituto, in senati consulto de Asclepiade munus ex formula ('κατὰ τὸ διάταγμα') quaestor mittere iubeatur, verisimile esse iudicat, civitatis hospites, ut apud Graecos fiat (C. I. Gr. 1193, 133: ξένια τὰ μέγιστα ἐκ τῶν νόμων), de muneribus praebendis in classes fuisse descriptos. Sed cum semper singulari senatus consulto summa pecuniae diserte significetur, nihil nisi munus sollemne in perpetuum fuisse constitutum, idque munus e binis millibus aeris usque ad extremum sextum saeculum fuisse videtur. Quae cum ita sint, non sine verisimilitudinis specie suspicari licet, iis sociorum legatos, quos munera accepisse Livius silentio praetereat (Liv. XXX, 21. XXXII, 27. XXXVI, 4. XLIV, 19. XLV, 3. 13. 19. coll. Liv. XLII, 24), id munus ex formula e binis millibus aeris missum esse.

c. „Die gewöhnliche Rechnungsmünze war der alte librale As, oder dessen Aequivalent in Silber, der Sesterz" v. Hultschii: 'Gr. u. röm. Metrologie' p. 221 tabulamque pagina CCCXIII enarratam.

d. Recte adnotat Weissenbornius ad h. l. haec „Dieses Anerbieten (des Gastgeschenks) passt wohl auf die von Pol. 28, 15 erwähnte Gesandtschaft, nicht aber auf die von Livius dargestellte" v. supra p. 31 sq. Munus enim cum signum amicitiae esset, et senatus hoc mittendo ea improbasset, quae in curia in Rhodios acerrime protulisset et Rhodii munere non accepto ipsi amicitiam stultissime solvissent.

e. Weissenbornius h. ad. l. adnotat haec *legato* 'da die Hs. quelegato hat, so kann etwas ausgefallen sein; dass aber nur von *einem* Gesandten die Rede war, zeigt § 12 eum, sonst könnte man, da es § 10 legatis heisst, die Hs. essent hat, legato vermuten'. Sed mihi persuasum est, Livium eadem ratione paullo neglegentius dixisse de legato, ut significaret principem legationis, qua in scti de Astypalaeensibus (C. I. Gr. II, n. 2485) versu 46 de legato, versu 48 de legatis dictum est. Si vero Weissenbornius pergit 'der grössere Betrag des Geschenkes wird vielleicht gegeben, um Apoll. zu ehren, so dass derselbe durch in maximo etc. motivirt würde . . . . so dass es nicht wahrscheinlich ist, Apoll. habe den übrigen Gesandten ihren Antheil von der Summe geben sollen' ei plane assentior; accedit, quod semper et apud Livium et in inscriptionibus de muneribus *in singulos* missis dicitur. Itaque ceteri legati munus ex formula accepisse videntur.

f. In scto de Prienensibus cum diserte significetur, munera esse missa in singulos CXX HS, luculenter apparet, ipsam munerum summam septimi saeculi initio diminutam fuisse; quae cum ita sint, iis temporibus munus ex formula non tale fuisse, quale supra indicavimus, sed multo minus, versimile est. Itaque de muneribus *Iudaeorum* legationi Romam a. 621/133 venienti praebitis paullo aliter nos iudicamus atque Mendelssohnius (v. Acta soc. philol. Lips. sq. V, p. 143). In ipso enim senatus consulto cum Fannius iubeatur δοῦναι χρήματα ἐκ τοῦ δημοσίου, ὅπως ἂν εἰς τὴν οἰκείαν ἐπανέλθοιεν, illud χρήματα nude possitum, qui sit intellegendum, dubitari potest. Mendelssohnius vero cum aut

de munere legatis dari solito aut de viatico cogitari posse significasset, non dubitavit, quin hanc rationem praeferendam esse censeret. Sed cum nullo loco de summa pecuniae legatis pro viatico data sermo sit, nos cum Mendelssohnio non facientes alteri rationi plaudimus.

Sed ipsam summam non esse revocandam talem, qualem Mendelssohnius constituit *ὅπως Γάϊος Φάνιος . . . . ξένια τοῖς πρεσβευταῖς δῷ ἐκ τοῦ δημοσίου δύο μνᾶς καθ᾽ ἕκαστον* nobis persuasum est; nam et illud *μνᾶς*, pro quo exspectaveris Romanorum sestertios, offendit et ipsa summa non respondet binis millibus aeris. Itaque nos neque de minis neque de summa binis millibus respondente cogitamus, sed eandem summam, quam in scto de Prienensibus invenimus, in scto de Iudaeis ponendam esse censemus.

Cum iam supra enarratum sit, legatis posterioribus temporibus non iam locum lautia esse data, per se patet, iis temporibus munus quoqne omissum esse.

3. *De donis insuper datis.*

Mirum non est, quod Romani legatis a sociis missis, qui eos officiis datis devinxerant, non solum munus solemne praebere, sed insuper honoris gratia dona dare solebant. Itaque Carnorum Istrorumque et Gallorum legatorum comitibus, liberis servisque a. 584/170 vestimenta sunt data; similiter Masinissae legatorum comitibus millium aeris et singula vestimenta, ipsis legatis bina vestimenta decreta sunt (Liv. XXX, 17). Micythioni vero, Chalcidensium legationis principi (a. 584/170), quod pedibus captus erat, publice vehicula locata sunt, quae eum commode Brundusium perveherent (Liv. XLIII, 8); item legatis Saguntinis comprehensos cum pecunia adducentibus Carthaginienses, qui ad conducenda auxilia in Hispaniam traiecissent, aurum argentumque datum ac naves, quibus in Hispaniam reverterentur (Liv. XXX, 21). Saguntinis autem legatis, qui Italiam spectatum ire volebant, duces dati litteraeque per oppida missae, ut eos comiter acciperent (Liv. XXVIII, 39); item et Thisbaeis a. 584/170 data sunt *γράμματα φιλάνθρωπα,* si quo ad alias civitates ire studebant (Ephem. epigr. I, 278 lin. 59) et Iudaeis a. 621/133 *γράμματα* data sunt *εἰς ἀσφάλειαν τῆς εἰς οἶκον ἐπανόδου* (Ios. A. I. XIII, 9, 2, p. 172 Bekk., v. Mendelssohni: scta Rom. ap. Ios. p. 143 sq.).

Eas autem eum curare iussum esse, qui de tota re senatum consuluerat, Mendelssohnius recte adnotavit recteque adiecit earum litterarum commendaticiarum exemplum quamvis mutilum extare apud Ioseph. A. I. XIV, 10, 15 p. 240 Bekk.

B. Reges.

1. *Locus lautia.*

Reges Romam venientes cum semper magis honorari solerent, quam populorum legati, mirum non est, quod in eos in hospitalibus quoque praebendis Romani summe officiosi erant. Ita Masgabae Masinissae filio Puteolis nave egresso a. 586/168 praesto fuit obviam missus cum pecunia L. Manlius quaestor, qui Romam eum publico sumptu perduceret (Liv. XLV, 13); eodem anno L. Stertinius quaestor Brundusium est missus ad Misagenem, alterum Masinissae filium, aegrum, qui curaret, ut aedes hospitio regi, simul omnia quae ad valetudinem opus essent, praeberentur (Liv. XLV, 14. Val. Max. V. I, 1).

Item Prusiae L. Cornelius Scipio quaestor obviam missus est a. 587/167, qui eum sumptu publico Romam perduceret (Liv. XLV, 44). Itaque cum Ptolemaeus Philometor e regno expulsus Romam a. 589/165 clam venisset, senatus excusatione usus est, quod quaestorem illi more maiorum obviam non misisset, id factum esse eius subito et clandestino adventu. (Val. Max. V. I, 1). Quae cum ita sint, in universum statui licet, regibus sociis auctoritateque florentibus e senatus consulto quaestorem obviam mitti solere[1]. Itaque et Athenaeo, Eumenis fratri a. 571/183 (Pol. XXIV, 1. Liv. XXXIX, 46) et Attalo eiusque fratribus (Pol. XXV, 6) a. 574/180, et Eumeni a. 582/172 (Liv. XLII, 14) et Attalo a. 587/167 (Pol. XXX, 3. Liv. XLV, 19[2]). Diod. XXXI, 7) et Attalo Athenaeoque a. 590/164 (Pol. XXXI, 9) et Attalo, Eumenis filiolo a. 620/152 (Pol. XXXII, 16) et Ariarathi a. 709/45 (Cic. ad Att. XIII, 2, 2)[3]) quaestorem esse obviam missum, etsi apud scriptores diserte non commemoratur, tamen concludere non dubitamus.

Itaque Eumeni quoque, cum senatus cognovisset, eum iis temporibus Romanis haud ita acceptum Brundusium venisse Romamque esse profecturum (Pol. XXX, 17), lege lata[4]), ne cui regi Romam venire liceret, quaestor obviam missus est, qui eum impediret, quominus Romam veniret.

---

1) v. Mommseni: Röm. Staatsr. II, 1, 519. 2) Liv. l. c. 'Attalus omnibus honoribus muneribusque et praesens est cultus et proficiscentem prosecuti sunt'. 3) Apud Mommsenum: Röm. Staatsr. II, 1, 519 adn. 3 falso allatum est 'ad fam. XIII, 2, 2.' 4) Hanc legem nonnunquam neglectam esse, ex exemplis, quae supra attulimus, apparet.

Regibus igitur singulis una cum quaestore Romam venientibus ab eo magistratu plerumque aedes liberae[1]), quae ipsum regem comitesque reciperent, conducebantur sumptusque, quoad in Italia erant, praebebatur (Liv. XLV, 14. 44).

2. *Munera.*

Regibus sociis, cum senatum adiissent, item ut sociorum legatis e senatus consulto munera esse praebita, per se patet. Sed ut muneris summa minima, quae sociorum legatis daretur, certe constituta esse videtur, ita in contrarium munera summa et honorificentissima, quae regibus darentur aut absentibus mitterentur, more maiorum statuta esse videntur.

Cum enim imperii insignia[2]), quibus Romani reges suos ornare solerent, essent et *sella curulis*[3]) *et sceptrum in summitate aquilam habens*[4]) *et toga picta tunicaque palmata*[5]) Romanorum senatus[6]), si reges externos socios et amicos populi Romani appellare eorumque imperium sua auctoritate sancire volebat, ea munera regibus mittenda esse censebat. Sed nonnumquam fiebat, ut et non omnia illa dona praeberentur, sed modo hoc modo illud omitteretur et ut munera insuper darentur alia. Iam ipsa exempla, quae extant, e temporum ordine accuratius enarremus.

Porsennae[7]) senatus a. 246/508 decrevit dona esse mittenda (Dion. IV, 54) haec: *θρόνον ἐλεφάντινον* i. e. sellam curulem, *καὶ σκῆπτρον* i. e. scipionem eburneum, *καὶ στέφανον χρύσεον* i. e. coronam auream, *καὶ θριαμβικὴν ἐσθῆτα* i. e. vestem triumphalem[8]), *ὑφ' ἧς οἱ βασιλεῖς ἐκοσμοῦντο.* Una cum imperii insignibus missam esse coronam auream, victoriae signum, non offendit.

1) De aedibus liberis v. supra p. 11. Eas autem fuisse instructas per se patet (Liv. XLII, 19). Itaque recte Weiskius: considérations historiques et diplomatiques sur les ambassades des Romains Zv. 1834, p. 52 § 36 dicit haec „il y a aussi des exemples que le sénat Romain fit louer des *hôtels garnis*". 2) v. Langii: R. A. I^3, 317. Mommseni: Röm. Staatsr. II, 1, 485. 3) *θρόνος ἐλεφάντινος* (Dionys. III, 61) *δίφρος ἐλεφάντινος* (Pol. XXXII, 5. App. Pun. 32) sella curulis regia (Liv. I, 20) sella eburnea (Liv. XXVII, 4). v. Mommseni: Röm. Staatsr. I, 316. 4) Scipio eburneus (Mommseni: Röm. Staatsr. I, 342). 5) v. Mommseni l. c. et p. 328. 6) Scipionem sua sponte haec 'regia dona' Masinissae dedisse, cum Livius narrat (Liv. XXX, 15) eum fines imperii egressum esse patet, itaque necesse fuisse Masinissa Romae peteret, ut regium nomen ceteraque beneficia et munera Scipionis senatus decreto confirmarentur, Livius XXX, 17 tradidit. 7) Per se patet, ad *ea* tempora hanc consuetudinem *posteriorum* temporum ab scriptoribus translatum esse. 8) Est toga picta tunicaque palmata. v. Mommseni: Röm. Staatsr. I, 329.

Ad Syphacem vero et ad Ptolemaeum ad commemorandam et renovandam amicitiam legatos Romanos e senatus consulto dona tulisse togam et tunicam purpuream, sellam eburneam, ad Syphacem insuper pateram e V pondo auri et ad alios Africae regulos pateras e III pondo auri factas et ad Aegypti reginam[1]) pallam pictam cum amiculo purpureo, Liv. XXVII, 4 tradit. Pateras autem aureas, cum supra docuerimus, et legatos Romanis dono dare et Romanos legatis, per se patet, regibus quoque aureas pateras dono dari posse. Itaque Scipio Masinissam primum regem appellatum eximiisque ornatum laudibus (Liv. XXX, 15) aurea corona, aurea patera, sella curuli et scipione eburneo, toga picta et palmata tunica a. 551/203 donat; ad eundem vero regem ad firmandam amicitiam dona ampla esse lata a. 554/200 haec: vasa aurea argenteaque, togam purpuream et palmatam tunicam cum eburneo scipione et togam praetextam[2]) cum curuli sella, Liv. XXXI, 11 tradidit[3]).

Eumeni autem a. 582/172 scipionem eburneum et sellam curulem donaque amplissima data esse, Liv. XLII, 14 (coll. Diod. XXIX, 37) refert; eadem *τὰ μέγιστα τῶν παρὰ τῇ συγκλήτῳ νομιζομένων δώρων*, ut Polybii verbis utar, Ariarathi a. 594/160 missa esse, Pol. XXXII, 5 tradit.

Sed ut paullatim Romani destiterunt a dandis muneribus legatis Romam venientibus, ita ille quoque mos ita obsolevit, ut Tacitus (ann. IV, 26) narrare posset, Romanorum senatum cognitis Ptolemaei studiis a. 730/24 *ex vetusto morem* repetiisse senatoremque misisse, qui scipionem eburneum, togam pictam, *antiqua* patrum munera daret regemque et socium atque amicum appellaret. —

Senatus vero, si reges muneribus dandis aut mittendis honorare volebat, attamen summa illa imperii insignia praebere nolebat, pateras argenteas aut aureas, equos phaleratos al. mittere solebat.

---

1) Ad Aegypti reginam dona regia mittuntur, quod re vera ea imperii particeps erat. De amiculo et palla v. Beckeri: Gallus III, 156. Paulyi: Realenc. VI, 2, 2518. 2) v. Mommseni· Röm. Staatsr. I, 329 adn. 1. 336 adn. 1.
3) App. Pun. 32 qui tradit, Masinissae dono data esse *στέφανόν τε ἀπὸ χρυσοῦ* (coronam auream) *καὶ σφραγῖδα χρυσῆν* (annulum aureum v. Paulyi: Realenc. I, 1, 1033) *καὶ ἐλεφάντινον δίφρον* (sellam curulem) *καὶ πορφύραν* (togam purpuream) *καὶ στολὴν Ῥωμαϊκὴν* (togam praetextam) *καὶ ἵππον χρυσοφάλαρον* (equum phaleratum) *καὶ πανοπλίαν*, inter se permiscuisse videtur legationem a. 554/200 et a. 551/203 missam (Liv. XXX, 17. XXXI, 11).

Ita *Eumeni et Attalo* munera data a. 562/192 equi duo, bina equestria arma et vasa argentea centum pondo et aurea viginti pondo (Liv. XXXV, 23), *duobus Gallorum regulis fratribus* a. 584/170 torques[1]) duo ex V pondo auri facti et vasa argentea quinque ex viginti pondo et duo equi phalerati cum agasonibus et equestria arma ac sagula[2]) (Liv. XLIII, 5), *Gallorum cuidam regi* torquis aureus[1]) duo pondo et paterae aureae quattuor pondo, equus phaleratus armaque equestria (Liv. XLIV, 14), *et Masgabae et Nicomedi Prusiae filio* ex senatus consulto a. 587/167 ex centum pondo argenti (Liv. XLV, 14 coll. Val. Max. V. I, 1. Liv. XLV, 44), *Prusiae* ex ***[3]) sestertiis et vasorum argenteorum pondo quinquaginta (Liv. XLV, 44). *Masinissae* vero, cui iam Scipio a. 551/203 (Liv. XXX, 15) summa insignia dederat, tamen senatus decrevit, mittenda esse sagula[2]) purpurea duo cum fibulis aureis singulis et lato clavo tunicis[4]), bina equestria arma cum loricis et tabernacula militaremque supellectilem[5]), qualem praeberi consuli mos erat[6]).

Equos esse datos semper phaleratos, per se intelligitur; cum vero alia donorum splendida sint, plane facimus cum Weissenbornio (ad Liv. XXX, 17), eos equos item fere ornatos fuisse atque in triumphis. Cum autem constet, in triumphis equos exornatos fuisse aureis phaleris[7]), non dubitamus colligere, equos regibus dono missos semper ita instructos fuisse. Accedit unum Appiani testimonium (App. Pun. 32), e quo senatores Masinissae miserunt *ἵππον χρυσοφάλαρον*. Quae cum ita sint, de *equestribus quoque armis* contra lexicorum et Spengelii (Philol. XXII, 98) auctoritatem Weissenbornio assentimur. Si enim equestria arma essent armamenta „quibus opus est ad equum regendum et exornandum", et Liv. XLIII, 5 scripsisset

1) Gallis cur torques dati sint, facile intellegit, qui non nescit, torques et annulos eorum fuisse ornamenta usitatissima (Liv. VIII, 10. Flor. II, 4).
2) Sagulum, vestitum militarem, regibus dono datum fuisse purpureum et fibulis aureis contentum (v. Paulyi: Realenc. VI, 1, 680. Varro ap. Non. III, 201. XIV, 10), per se patet. 3) Filio minus donum esse datum, quam patri per se patet. Cui vero cum vasorum argenteorum pondo quinquaginta i. e. 20000 HS donum praebeatur, nonne verisimile est, munus apud Livium antecedens fuisse centum millium aeris (v. Liv. XLII, 6) itaque in lacuna C fuisse signum, quo illa summa significaretur? 4) v. Mommseni: Röm. Staatsr. I, 336 v. p. 53 adn. 2. 5) v. Marquardtii: Handb. d. r. A. III, 1, 281. 6) Quae fuissent τιμαὶ ἁρμόζουσαι τῇ καθ' αὑτὸν ἡλικίᾳ Attalo, Eumenis filiolo, tributae, equidem enucleare non potui (Pol. XXXIII, 16); fortasse de bulla aurea et similibus rebus est cogitandum.
7) Suet. Claud. 17. Calig. 19. Liv. XXVII, 17 coll. Pol. XXXI, 3. 6.

'et duo equi phalerati cum armis equestribus et agasonibus' sq. et quomodo inter se coniungi possent equestria arma et loricae (Liv. XXX, 17) atque cur antea equi phalerati dicerentur dein de eorum armis sermo esset, nemo intellegere posset.

Itaque nos de galea et parma et ocreis et gladio et hasta, armis, quibus equites in bello instructi erant, cogitamus. Posterioribus vero temporibus cum apud Romanos lorica accederet, mirum non est, quod iam a. 551/203 Masinissae bina equestria arma cum loricis decreta sunt.

3. *De donis insuper datis.*

Fit quoque ut regibus eorumque comitibus a senatu nonnulla alia dona vel beneficia tribuantur. Ita Gallorum cuiusdam regis (Liv. XLIII, 5) et Masgabae Masinissae filii comitibus (Liv. XLV, 14) liberis servisque vestimenta sunt data; Misagenis vero, alterius Masinissae filii, comitibus impensas liberaliter esse praebitas, equitibus vero singulas argenti libras et quingenos HS quaestorem dare iussum esse, Val. Max. V. I, 1 tradit. — Reges autem, quos senatus omnibus honoribus colere volebat, et quaestorem iussum esse prosequi, donec naves conscendissent et iis naves conduci, quibus ipsi comitesque in patriam deveherentur, Livius nonnullis locis (Liv. XLV, 14. 20. 44) tradidit.

Prusiae autem senatus censuit, victimas aliaque, quae ad sacrificium pertinerent, seu Romae seu Praeneste immolare vellet, ex publico esse praebenda (Liv. XLV, 44). — Denique reges aegrotantes a quaestore curari et mortuos publice sepeliri, per se patet. (v. Val. Max. V. I, 1. Plut. q. R. XLIII).

C. Hostium legati.

Hostium legatos de pace facienda Romam appetentes in urbem nunquam intromitti, sed in villa publica ante urbem manere, e locis innumerabilibus[1]) apparet. Sed cum e Livii (II, 3) aliorumque scriptorum (Plin. N. H. VII, 24. Cic. Tusc. I, 24) testimoniis appareat, et Tarquinii Superbi legatos regis bona repetentes et Cineam Pyrrhi legatum in ipsa urbe fuisse, prioribus temporibus hunc morem

---

1) Liv. XXX, 21. XXXIII, 24. XXXIV, 43. XLI, 17. XLII, 36. XLV, 22. Pol. XXXV, 2. App. VIII, 31. Hisp. 49. Cass. Dion. fr. XLIII, 27. LVII, 36. LXXIX Dd. XXXVII, 2. Sall. Iug. XXVIII. Fest. p. 347. Zonar. IX, 22. De villa publica v. p. 11 adn. 3.

nondum fuisse, sed inde a bello cum Pyrrho gesto esse constitutum, verisimile est[1]).

Si vero non constaret, utrum legati advenientes hostes essent iudicandi necne, consulem senatum interrogare, placeretne legatos recipi moenibus, Sall. Iug. XXVIII exposuit. — Pace vero facta legatos urbem intrare posse, e Livii testimonio (XXX, 43) apparet.

Hostium legatis *munus* nunquam dari, per se intellegitur (v. p. 12 sq.); sed *lautia* tamen praebenda iis esse, patres non raro censebant (Liv. XXX, 21. XXXIII, 24), *μὴ βουληθέντες πω τὴν ἐλπίδα αὐτῶν ὡς καὶ συναλλαγησομένων ἀφελέσθαι* (Dion. Cass. fr. 79 Dd.).

D. Populorum qui societatem cum Romanis inire volebant legati.

Legatis amicitiam facientibus locum lautia dari munusque praeberi amicitia impetrata, cum e scto de Asclepiade (C. I. L. I, p. 110 lin. gr. XXVI) luculenter appareat, supervacaneum esse videtur, alia eiusmodi exempla e scriptoribus collecta accuratius enarrare[2].

CAPUT IX.

QUOMODO LEGATIS SENATUS DATUS SIT.

I. DE REBUS ANTE SENATUM DATUM ACTIS.

A. Legati sociorum populorumque amicitiam facientium.

Quod legati, cum Romam venissent, apud quaestorem urbanum nomina sua deferebant — quod iam supra explicavimus (p. 36 sq.) — ab eodem magistratu eos certiores fieri, quem magistratum, quo die, quo loco adirent, verisimile esse videtur. Quibus rebus cognitis in comitium ire magistratumque in tribunali sedentem adire eique

1) v. Mommseni: Röm. Gesch. I, 1, 403 „Man antwortete dem König das stolze Wort, das hier *zuerst* vernommen und seitdem Staatsgrundsatz ward, dass Rom nicht unterhandle, so lange auswärtige Truppen auf italischem Gebiet ständen, und das Wort wahr zu machen, wies man den Gesandten sofort aus der Stadt“. 2) v. Liv. ep. XIV, sq. (v. p. 39 adn. 1). Liv. XLIII, 6. Pol. XXX, 5. Ios. A. I. XIV, 8, 5.

explicare solebant, qui essent quaque de re rogarent, ut sibi senatus adeundi potestatem faceret[1]). Ille vero magistratus aut diem significabat, quo iis senatus dari posset, aut si senatores in curia Hostilia[2]) aderant, illico senatum adibat et referebat, quae vellent legati[3]). Legatis vero in comitio in Graecostasi[4]) stantibus consulisque vel eius magistratus, qui senatum coegerat, responsum exspectantibus aut senatus dabatur aut ad novos consules aut aliud tempus reiiciebantur (Liv. XLI, 6. XLII, 26) aut patrum placita in comitio pro contione edicebantur[5]), si ne audiri quidem legatos patribus placebat.

Sed cum constet, non semper in curia Hostilia, sed in aliis quoque templis senatum haberi posse (Langii: R. A. II, 371 sq.) mirum non est, quod et in templo Iovis Capitolini[6]) et in templo Concordiae[7]) gentium legati audiebantur.

B. Reges.

Similiter reges Romam venientes a summo magistratu petere, ut sibi senatus daretur ex his Livii verbis apparet (Liv. XLV, 44) 'Rex Prusias magno comitatu urbem ingressus ad forum a porta tribunalque Q. Cassii praetoris perrexit concursuque undique facto Deos, qui urbem Romanam incolerent, senatumque et populum Romanum salutatum se dixit venisse, et gratulatum, quod Persea Gentiumque regem vicissent.......' Quum praetor senatum ei, si velit[8]), eo die se daturum dixisset, biduum petiit tertioque post die senatum adiit.

C. Hostium legati.

Hostium legati, cum in urbem intromittere vetarentur itaque in villam publicam deducerentur, senatum extra urbem dari per se patet. Magistratus igitur, cum antea — si de pace venerant

1) Liv. XXIX, 16. XLV, 40. 2) Apud scriptores et in inscriptionibus saepe non ita accurate senatores dicuntur in comitium coacti esse (Ios. A. I. XIII, 9, 2. C. I. Gr. 5879 Sctum de Thisbaeis lin. V, XIII. v. Langii: R. A. II², 371). 3) Liv. XLII, 26. XLV, 20 al. 4) Varr. de l. l. V, 155. Iustin. XLIII, 5. Liv. XLV, 20. v. Paulyi: Realenc. III, 948. Huschkii: über die Stelle des Varro etc. Heidelb. 1835 p. 48. Beckeri Top. 284. Mommseni: Röm. Forsch. I, p. 247 adn. 46. 5) Liv. XLIII, 4. XLV, 20. 6) Liv. VIII, 5. XXXII, 8. Beckeri Top. 402. 7) Ios. A. I. XIV, 8, 5. Cum Ritschelio et Mendelssohnio plane facio contra Mommsenum (Herm. IX, 281 sq.). 8) Item Ptolemaeus Philometor (Val. Max. V. I, 1. Diod. XXXI, 8 Dd.) diem, quo in senatum introduci vult, diserte significat.

hostium legati — et in senatu et pro contione de belli eventu rettulisset, legatis aut in Apollinis[1]) aut in Bellonae[2]) aede senatum dabat.

Introductos esse legatos a *consule* testimoniis afferendis demonstrare vix opus esse videtur[3]). *Dictatorem* vero, si summum imperium tenebat, legatos introduxisse, item per se patet (Liv. XXII, 59). Si vero consules aut aberant aut casu quodam impediebantur, quominus legatis senatum darent, *praetorem* urbanum eos introduxisse innumerabilibus exemplis[4]) scriptores testantur. Denique quod *uno* loco (Pol. XXX, 4) Antonius *tribunus plebis* dicitur legatos Rhodios a. 587/167 in senatum introduxisse contra Livii auctoritatem[5]) in universum narrantis M. Iunio eiusdem anni consuli legationes quae Romam venissent introducere placuisse, haec statui posse videntur. Quamvis enim de Rhodiis legatis, cum M. Iunium consulem adiissent neque tamen senatum impetravissent, acerrimum esset certamen, tamen neque apud Polybium neque apud Livium de consule mentio fit itaque is impeditus abfuisse videtur. Itaque M'. Iuventius Thalna praetor *contra usum* ante non consulto senatu, non consulibus certioribus factis de sua unius sententia rogationem ferre in comitiis *tributis*[6]) potuit de bello Rhodiis indicendo. Cui actioni cum tribuni plebis non dubitent intercedere ante tempus *contra usum*, absonum non est, tribunum plebis, cui ius erat cum senatu agendi, *contra usum* legatos introduxisse[7]).

Magistratui vero legatos introducenti accurate esse animadvertendum, num omnes legati, qui eum adierint, adsint, — quod, si quis legatorum non aderat, ipso iure de legatione sermo esse non

---

1) Liv. XXXIV, 13. 2) Liv. XXX, 21, 40. XXXIII, 24. XLII, 36. Fest. p. 347 M. Apud Livium semper dicitur senatus dari *ad* aedem Bellonae.
3) Unum Polybii testimonium afferam hoc ' *εἴς τε τὴν σύγκλητον οὗτοι* (i. e. *οἱ ὕπατοι*) *τὰς πρεσβείας ἄγουσιν*. v. Paulyi: Realenc. V, 852. Mommseni: Röm. Staatsr. II, 1, 114. 4) Pol. XXIV, 1. XXXIII, 1. XXXV, 2. Liv. VIII, 1. X, 45. XXVII, 50. XXX, 17. 22. XXXIV, 57. XXXVII, 53. XL, 4. 34. XLIII, 7. 8. XLIV, 16. XLV, 13. 44. App. Mithrid. 6. Ios. A. I. XIII, 9, 2. XIV, 8. 5. Sctum de Thisbaeis lin. III. IX. v. Beckeri: Handb. II, 2, 187. 403. Mommseni: Röm. Staatsr. II, 1, 212. 5) Liv. XLV, 17. v. Liv. XLV, 20. 6) v. Langii: R. A. II[2], 559. Mommseni: Röm. Forsch. I, 163. 7) Weiskium e Liv. XXXIX. 33 concludentem, senatores quoque legatos introduxisse, ideo nos sequi non possumus, quod ille locus corruptus est. (v. Weissenbornii adn. ad l. s. s.).

poterat — inde apparet, quod, cum a. 565/189 post Eumenem regem Rhodiorum legatis senatum dandum esse praetori placuisset, eorum tamen legatio introduci non potuit, quia non aderat quidam eorum[1]). Itaque brevi Smyrnaeorum legatione interposita tota tum integra Rhodiorum legatio introducta est.

Multas legationes Romam simul venientes ordinari solere pro voluntate consulum (aut eorum magistratuum qui senatum coegerant), itaque plerumque gratia[2]) consules ordinasse non solum schol. Bob. p. 259 sq. (in Cicer. or. pro Planc. XIII, 2) diserte tradit, sed etiam e scriptorum testimoniis facillime enucleari potest. Si enim reges et aliae legationes Romam convenirent, semper antea regibus senatum esse datum ita vero, ut primus introduceretur is rex, cuius auctoritas esset maxima, e Polybii et Livii testimoniis haud paucis[3]) apparet; item legatorum a multis gentibus Romam missorum primos esse admissos eos, qui optimi et firmissimi socii iudicarentur, e Pol. XXII, 1. XXXI, 1 concludi licet; denique si de pace facienda legati cum aliis Romam convenerant, illos auditos esse, cum aliae legationes introductae essent, ex eodem Polybio (XXII, 1. XXXV, 2) apparet.

II. DE SENATU LEGATIS ROMAM MISSIS DATO.

1. Legati introducuntur et verba faciunt.

Legatos[4]) consul, cum in senatu rettulisset e comitio in curiam introducebat atque iis potestatem faciebat senatus adeundi. Tum senatu dato princeps, qui maximus[5]) natu inter legatos esse solebat,

1) Pol. XXII, 1 *ἐβούλοντο εἰςάγειν τοὺς Ῥοδίους, ἀφυστεροῦντος δέ τινος τῶν πρεσβευτῶν εἰςεκαλέσαντο τοὺς Σμυρναίους.* cf. Liv. XXXVII, 54. 2) Nonnunquam etiam pecunia accepta v. supra 44 sqq. 3) Pol. XXII, 1. XXIII, 1. XXIV, 1. XXIV, 10 (coll. Liv. XL. 2) XXV, 2 (coll. Liv. XL, 20). Liv. XLII, 11. Pol. XXXI, 1. 9. XXXIII, 16. 4) Gratulantium legatorum vestes fuisse candidas, lugentium sordidas, multis locis comprobatur (Cic. Verr. II, 2, 25. II, 5, 49. Val. Max. V. I, 1. Liv. XXVI, 39. XXIX, 16. XXXIV, 9. XLV, 20. Sall. Iug. XXXIII. Menander in rhet. graec. ed. Walz IX, 297 coll. Plin. XXXIII, 1). Notum est, e more Graecorum legatos supplices velamenta, ramos oleae porrigere (Liv. XXIX, 16). 5) Liv. XXVIII, 39. XXIX, 16. Ipsos legatos non adulescentes fuisse, sed viros peritos, per se intelligitur (Liv. XXX, 22). Sed ut posterioribus temporibus Romani ipsi viro, qui legationis principis munere fungebatur, adulescentes attribuebant (Sall. Iug. XXII. v. Plut. praec. reip. ger. X), ita fortasse etiam legatos Romam missos non semper viros fuisse omnes, coniici licet.

ad senatum verba faciens[1]), qui essent, quibus de caussis venirent, petebat, ut preces pronis auribus acciperent. Sed non solum principem, sed alios quoque legatos post eius orationem verba facere potuisse, et nonnullis exemplis scriptores[2]) testantur et ex ipso vetustiore[3]) legati nomine 'oratoris' enucleari potest.

Duarum civitatium legatos qui ad controversias inter se a senatu diiudicandas Romam venerant simul in senatum introduci posse, ut coram senatoribus inter se disceptarent, haud ita raro[4]) a scriptoribus traditum est.

Sed quaeritur, utrum legati in senatu semper latine dixerint an fortasse graeca aut alia lingua usi sint. Gellius vero aliique scriptores[5]) cum tradant, a. 599/155 Atheniensium legatorum fuisse interpretem in senatu C. Acilium (v. Teuffelii: Röm. Litt. p. 158) senatorem, inde concludimus, vetustioribus temporibus ne Graecos quidem unquam in senatu sine interprete locutos esse. Cum vero Val. Max. II, 2. 2[6]) Molonem, Rhodiorum legatum, ante omnes legatos primum Sulla dictatore[7]) in senatu sine interprete auditum esse testetur, contendere non dubitamus, inde a Ciceronis temporibus Graecorum legatos in senatu graece loqui potuisse sine interprete. Attamen gentium barbarorum legatos etiam Ciceronis temporibus non sine interprete in senatu locutos esse, e Cic. de div. II, 64 apparet.

Cum vero senatores sententiam dicere possint de scripto[8]), quaeritur num idem facere legatis liceat. Sed quod contra morem usumque patres Demetrio[9]) adulescenti, Philippi regis filio, que-

1) Quomodo legatorum orationes sint componendae ad movendam misericordiam, Menander docet (Rhet. graeci ed. Walz IX, 297). Ipsam vero orationem legatorum principem nonnumquam edidisse, e Pol. XXX, 4 apparet. 2) Pol. XXX, 4. Liv. XXX, 42. 3) Fest. s. v. orator. p. 183. s. v. orare p. 198. Paul. p. 184. 199 M. Varro de l. l. VI, 76. VII, 41 M. Liv. I, 15. 4) Pol. XXV, 2. Liv. XL, 20. XLII, 14. 5) Gell. VII, 14. Macrob. Sat. I, 5. Cic. Acad. quaest. IV, 45. Plut. Cat. mai. 37. 6) Quomodo Dirksenus ex his Valerii verbis 'quis ergo huic consuetudini, qua nunc graecis actionibus aures curiae exsurdantur, ianuam patefecit? Ut opinor Molo rhetor qui studia M. Ciceronis acuit. Eum namque ante omnes exterarum gentium in senatu sine interprete auditum, constat' sententiam sibi conformare potuerit hanc 'Cicero soll der erste gewesen sein, welcher während seines Consulats die Reden der auswärtigen d. h. der griech. Gesandten . . . im röm. Senat ohne Dollmetscher angehört hat' (Civilist. Abhandlgn. I, p. 25), intellegere non possum. 7) Cic. Brut. 90, 312. 8) Cic. Sest. LXI, 129. Planc. XXX, 74. Phil. X, 2 ad fam. X, 13 ad. Att. IV, 3. 9) Pol. XXIV, 1 sq. App. Maced. IX. Iustin. XXXII, 2.

rellarum turba, quae ei refutandae erant, confuso permiserunt commoti eius tirocinio, ut ipse recitaret de commentariolo, quem a patre se accepisse rogatus diceret, inde concludi cogique potest, legatis recitare e scripto non licuisse, sed iis verba esse facienda libris scriptis non adhibitis.

Caesar autem cum omnium primus a. 695/59 instituisset[1]), ut senatus diurna acta conficerentur[2]) et publicarentur, per se intellegitur, inde a Caesaris temporibus, ut litterae ad senatum missae actis includebantur, (Tacit. Ann. II, 88), ita legatorum orationum epitomen brevem in senatus acta recipi solitam esse.

2. Legati a senatoribus examinantur.

Sed factum est nonnumquam, ut legatorum princeps orationem ad finem perducere non posset, quod magistratus, qui senatum coegerat, eum interrogationibus interrumpere potuit. Ita Philippi regis legatos accusationes legatorum Graecorum Romae a. 557/197 a se avertentes consul brevi interrogatione interrupit, traditurusne esset rex Graecis Demetriadem, Chalcidem, Corinthum; qui cum negarent, mandati sibi hac de re quicquam esse, statim responso non dato e curia excedere iussi sunt (Pol. XVIII, 11. Liv. XXXII, 37). Item Gentii regis legati, specie legatorum, re vera speculandi caussa Romam a. 582/172 missi, in senatum vocati, cum se missos esse ad purganda crimina, si qua de rege Issenses ferrent, dicerent, a consule interrupti sunt quaerente, cur non ratione solita atque inveterata magistratum adiissent, ut omnes alii legati. Haesitantes vero in responso dimissi sunt sine responso (Liv. XLII, 26). — Orationibus vero legatorum perfectis more tradito patribus potestatem, si quis quid vellet, interrogandi legatos magistratum fecisse, Livius multis[3]) locis diserte testatus est.

Quibus rebus factis senatorumque nullo iam interrogandi potestatem petente legati excedere curia[4]) iubebantur.

1) Suet. Caes. 20. cf. Huebneri 'de senatus populique Romani actis' (in Fleckeiseni annalium suppl. III, 564). 2) Ciceronis (Sull. 14, 15) ex instituto novo Allobrogum legatis, Catilinae coniurationis indicibus, in senatum introductis senatores constituti sunt, viri quam nobilissimi, qui omnium indicum dicta, interrogata, responsa perscriberent. 3) Liv. VIII, 21. XXIX, 19. XXX, 22. XXXVII, 1. 4) Liv. VII, 31. XXVI, 30. 33. XXVII, 1. XXIX, 19. XLII, 26 et multis aliis locis. Pol. XXIX, 7. XXXIII. 1. Dion. VI, 21. 18 sq. VIII, 9. Zonar. VIII, 15.

3. Senatorum sententiae de legatis perrogantur.

Legatis curia emotis sententiae interrogari coeptae sunt (Liv. XXX, 23) et ita quidem, ut magistratus senatum ordine consuleret[1]), quae singuli de ea re censerent. Qua in re[2]) principem senatus primum, dein consulares, dein praetorios, dein aedilicios, dein tribunicios, dein quaestorios, deniqui adlectos aut verbo assensos esse sententiae alicui aut pedibus in sententiam aliquam transiisse, in universum inter omnes constat. Senatores vero de legatis saepissime orationes longas in curia habuisse [inter quas notissimae sunt Appii Claudii Caeci de pace cum Pyrrho facienda (v. Teuffelii: Gesch. d. röm. Litt. 80 adn. 2) et M. Porcii Catonis de Rhodiis (Gell. VI, 3. 12 sq.) habitae], quibus multum temporis consumeretur, inde apparet, quod de pace cum Aetolis reconcilianda aliquot dies in senatu actum est (Liv. XXXVII, 1). Cum vero omnes sententiae perrogati essent, magistratum eas pronuntiasse et discessionem fecisse constat[1]). Sed factum est nonnumquam, ut magistratus qualibet caussa adductus non omnes sententias pronuntiaret, sed unam omitteret[3]); ita cum de Achaeis captivis legati Achaei Romam a. 599/155 venirent, A. Postumius praetor, quod non omnes sententias pronuntiavit, impedivit, quominus senatus captivos in patriam reducendos esse censeret (Pol. XXXIII, 1). — Quibus vero rebus factis legati a magistratu (Liv. XXXVII, 52) in curiam reducebantur.

4. Senatus consultum legatis datur.

Legatis in curiam reductis magistratus, qui senatum coegerat, ea quae senatui placuerant aut viva voce exponere aut de scripto (Liv. XXXII, 8) recitare potuit. Cum autem accurate traditum non sit, quibus occasionibus datis illud fieri soleret, quibus hoc, primo obtutu nos iudicare nihil aliud possumus, nisi verisimile esse, magistratum brevia et sollemnia responsa dantem ut legatis de

1) Non ad nos pertinere videtur, omnes formulas colligere, quibus magistratus et senatores in consulendo utebantur (v. Brissonii de formul. II, c. 45 sqq. Paulyi: Realenc. VI, 1, 1008 sq. Hoffmanni: der röm. Senat, Berol. 1847. Langii: R. A. II², § 114). 2) Hunc ordinem non semper tam certe constitutum fuisse, sed nonnumquam nonnulla esse mutata non nescio (v. ll. s. cc.); sed tamen hac occasione data satis esse videtur tantummodo attingere has res.
3) Caes. b. c. I, 2. Cic. Phil. XIV, 7. 8. Plin. ep. IV, 9.

victoriis gratulantibus de scripto non recitare. Sed cum constet, legatis *scriptum* senatus consultum non semper esse datum, sed saepe satis fuisse magistratus responsum in curia redditum, inde ad hanc quaestionem non sine verisimilitudine coniicere possumus, magistratum de scripto senatus decreta recitasse, si postea legatis dabatur *scriptum* senatus consultum, si non dabatur, voce tantummodo respondisse. Omnibus fere autem testimoniis et scriptorum et inscriptionum perpensis nos ea enucleavimus de senatus consultis datis scriptis aut non scriptis, quae nunc exponemus.

A. Legatis sctum scriptum *non* datur.

a. Cum bellum quoddam magnum a Romanis feliciter confectum esset, undique *legatos gratulantes* de prospero exitu Romam venisse, scriptorum testimonia inter se consentiumt. Iis vero legationibus, quibus propter sola officia convenientibus omnibus eadem fere respondebat magistratus 'patres laetis animis socios gratulantes audivisse itaque donaria allata libenter accipere iisque permittere, ut Romae sacrificarent' [1]), *scriptum* senatus consultum dari, nonne verisimilitudine prorsus caret? Cum autem accedat, quod ne ullum quidem vestigium talis senatus consulti extat, legatis tantummodo gratulandi caussa Romam venientibus magistratum non respondisse nisi voce, mihi persuasum est.

b. *Legatis vero sociis afferentibus nuntios* [2]) ad Romanorum res spectantes senatum gratias egisse sed scriptum sctum non dedisse, per se patet.

c. Item scriptum sctum dari non poterat, si patres censebant, legatos esse reiiciendos ad aliud tempus aut ad alium magistratum. Itaque *scriptum sctum non dabatur:*

1. *si patribus placebat, legatos ad novos* [3]) *consules esse reiiciendos aut iis aliud* [4]) *quoddam tempus esse exspectandum.*
2. *si senatus censebat, magistratus nonnullos senatorii ordinis delegaret, qui sociorum res inspicerent et corrigerent* [5]).

---

1) V. exempla supra p. 38 sqq. allata. 2) Liv. XXXI, 2. 5. XXXVII, 51. XL, 18. XLI, 8. 3) Liv. XLI, 6. XLII, 26. 4) Liv. XXXI, 5. XXXVII, 31. XLIII, 5. 5) Sctum de Thisbaeis l. 11—13. Equidem plane facio cum Foucarto (archives des miss. scientif. Par. 1872 p. 346) disserente sic „il est donc — nam undique convenisse legatos a. 584/170 a senatu petentes, ut suas res ordinaret, Liv. XLIII, 4 docet — probable, que, comme dans nos assemblées modernes, on avait l'habitude de confier ce travail préparatoire à une *commission*

3. *si senatus legatos ad consules aut alios magistratus reiiciebat, qui iis e scto satisfacerent.*

Hoc saepissime fit, si sociorum legati Romae a senatu petunt, ut colonorum numerus sibi augeatur. Hac vero occasione data cum facto senatus consulto et plebiscito plerumque tresviri coloniae deducendae crearentur, qui certum familiarum numerum deducerent[1]), scto scripto opus non erat, quod daretur sociis.

Item iudicandum esse videtur de quaestionibus Romae e sociorum querellis constitutis. Ita de legatis Latini nominis querentibus, magnum numerum civium suorum Romam commigrasse ibique censos esse, praetori negotium datum est, ut omnes conquireret eoque redire cogeret, ubi antea censi essent (Liv. XXXIX, 3).

Denique si legatis Romanos magistratus accusantibus Romae satisfiebat[2]), senatus consultum, quod legatis domum revertentibus daretur, supervacaneum fuisse, per se patet.

4. *si senatus ad controversias sociorum dirimendas ad eos legatos*[3]) *mittendos esse censebat*

5. *si senatus ad populum legatos reiiciendos esse censebat.*

Ita Gallorum legati a. 367/387 petentes, ut ex iure gentium a senatu Fabii illi tres dederentur, a senatu, ne penes ipsos culpa esset cladis forte Gallico bello acceptae, ad populum reiecti sunt (Liv. V, 36). — Caeritum autem legati a. 404/350 a senatu veniam petentes ad populum reiecti sunt, quod senatus populi iussum de iis antea factum irritum facere non potuit[4]). De foedere vero renovando cum a. 439/315 Samnitium populi legatos misissent, senatus sine populi iussu foedus renovare non ausus ad populum legatos reiecit (Liv. IX, 20). — Denique per se intelligitur, senatum de civibus Romanis decernere non posse, itaque legati civium, si de iis iudicandum est, ad populum reiiciuntur[5]).

---

et de voter sur les conclusions qu'elle présentait". Nam si cum Mommseno contendimus, illos senatores a praetore nominatos Thisbas esse missos itaque in scti secunda parte iis a senatu esse praescripta, quae in rebus ordinandis eos sequi oporteret, plane non intelligitur, cur senatus tam accurate et diserte omnia. quae sint instituenda, significet contra usum sollemnem *summam* solam (Liv. XXXVII, 55) exponendi. Quid enim cogitari potest, quod quinque illis viris sit ordinandum, postquam senatus ita decrevit?

1) Liv. XXVIII, 12. XXXIII, 24. XXXVII, 46. XLIII, 17. 2) Liv. XLIII, 2. 7. 3) Liv. XXXIV, 62. XXXIX, 24. Pol. XXIV, 4. Liv. XL, 20. Pol. XXVI, 7. 18. 4) Liv. VII, 20. v. Marquardtii: Handb. II, 3, 172. 5) Liv. XXVI, 33. v. Langii: R. A. II², 413 sq.

d. *Denique scriptum senatus consultum non dabatur:*

α. *legatis sociis:*

1. *quorum auxilia ad bellum Romam allata non accipiebantur* (v. p. 40 d)
2. *quibus petentibus non satisfiebat*[1])
3. *qui suspecti erant* (v. p. 33 sqq.).

β. *legatis de pace petentibus, qui pacem non impetrabant* (v. p. 33 sqq.).

Omnes autem ii legati, quibus senatus consultum non dabatur rite compositum, dimissi erant, postquam in ipsa curia responsa acceperunt et a quaestore munera, quae senatus iis mittenda esse censuerat, iis sunt praebita. Sed, quamvis eos non coactos fuisse postea illico urbem deserere e Pol. XXX, 4 appareat tamen per se patet, legatos quam celerrime responsa domum ferre.

B. Legatis datur sctum scriptum.

Quaerentibus nobis, utrum legatis in curiam reductis senatus consultum a magistratu sit recitatum posteaque rite scriptum a quaestore datum necne, primum inspiciendas esse inscriptiones, deinde vestigia et fragmenta[2]) sctorum apud scriptores extantium esse perscrutanda, denique nonnulla testimonia singula de occasionibus, quibus scta dari soleant, esse perpendenda, nemo est qui neget. Quibus omnibus testimoniis inter se collatis senati consulta[3]) scripta data esse videntur conditionibus his.

Legatis datur *scriptum* sctum:

a. *missis a populis, quibuscum hospitium*[4]) *aut foedus*[5]) *fit vel renovatur.*

---

1) Pol. XXXII, 37. XXXIII, 1, 13. Liv. XXIII, 20. XXXII, 2. 8. XL, 53. App. bell. cir. I, 39. 2) Imprimis nominanda est hoc loco Mendelssohni disputatio quam accuratissime composita de senatus consultis apud Iosephum servatis, quae edita est in Act. soc. philol. Lips. t. V. 3) Sed fieri potuit, ut non ipsum sctum daretur sed mitteretur epistula consulis aut praetoris. Cum vero notum sit, talem epistulam ita esse factam, ut consul ipsa senatus verba retineret neque nisi orationem converteret ex tertia persona in secundam (v. Mommseni adn. ad epist. ad Tiburtes C. I. L. I, nō 109), nos in universum solo de senatus consulto dicimus. 4) v. p. 9 sqq. S. C. de Asclepiade sq. (C. I. L. I, 203). Ios. A. I. XII, 10, 6 (Mendelssohni l. c. p. 92 sq.). Liv. XLII, 19. XLIII, 6. XLIV, 19. Suet. Vespas. 8. Mommseni annali vol. XXX, p. 181 sq. 5) v. p. 15 sq. S. C. de foedere cum Astypalaeensibus faciendo (C. I. G. II, 2485). Pol. III, 25. Liv. II, 33. IV, 7. XXVI, 24. XXXIX, 37.

Cum autem Liv. VII, 20 narret, pacem populo Caeriti a. 404/350 esse datam indutiasque in centum annos factas in sctum referri placuisse, contendere non dubitamus, etiam *legatis indutias Romae impetrantibus*[1]) sctum scriptum dari.

b. *Romae coram senatu disceptantibus.*

α. *de finibus aliorumque agrorum possessione.*

Non solum quod sctum superest, quo Samiis et Prienensibus de finibus litigantibus[2]) senatus respondet, sed etiam quod Sicul. Flacc. p. 154 sq.[3]) affirmat, de agrorum divisione et assignatione decreta rata non esse, nisi rite in aere inscripta, in universum iudicare licet, legatis de agris inter se disceptantibus semper[4]) dari scripta scta.

β. *de aliis rebus domesticis.*

Ita cum Lacedaemoniorum et Achaeorum legati inter se a. 571/183 coram senatu disceptarent (Liv. XXXIX, 48), utrum ii restituerentur, quos Achaei damnavissent, necne, inique an iure occidissent, quos necassent, utrum Lacedaemonii in Achaico concilio manerent, necne, senatus exules restituit iudiciaque facta sustulit scribique patribus placuit id decretum et consignari a Lacedaemoniis et Achaeis. Iisdem vero Lacedaemoniis exulibus a. 573/181 (Pol. XXV, 2. 3. Liv. XL, 20) senatus tantummodo spem dedit, se scripturum esse Achaeis ut restituerentur[5]). Item Atheniensibus et Achaeis Romae litigantibus de Deliis scto Achaeos recte censuisse constitutum est[6]) (Pol. XXXII, 17).

c. *missis a populis, quorum res a senatu ordinantur.*

Scta duo in marmore inscripta (Eph. epigr. I, 278) cum de Thisbaeorum agris et magistratibus et de vectigalibus publicis administrandis quam accuratissime decernant, inde sequitur, senatum

---

Dionys. II, 55. III, 33. IV, 26. Cic. Balb. 23. App. Syr. 39. Suet. Vespas. 8. Mommseni l. c. p. 212, Röm. Forsch. t. I, p. 336. Mendelssohni l. c. p. 195. De foedere renovato v. Liv. XLII, 6. XL, 58. XLIV, 14. Pol. XXVIII, 1. XXXI, 14.

1) Liv. I, 15. II, 54. V, 32. X, 5. 2) C. I. Gr. II, 2905. Lebas III, 195—98 p. 77. 3) Scriptor ille quamvis solis de imperatorum Romanorum temporibus cogitet — quae ad tempora inscriptio quoque pertinet, quam Mommsenus in Hermae vol. II, p. 103 accurate explicavit — tamen fortasse ad liberae quoque reipublicae tempora non nimis audacter referimus illud testimonium. 4) v. tamen p. 64, 4. 5) Similiter Antiochi legatis cum Ptolemaei disceptantibus senatus respondet (Pol. XXVIII, 1), se Q. Maenium consulem iussurum esse ad Ptolemaeum scribere, ut ei e republica fideve sua videatur. 6) In scto de Samiis et Prienensibus senatus eadem ratione Prienensium decretum comprobat, Samiorum repellit.

sociorum res ordinantem legatis scriptum[1]) sctum dare consuesse. Itaque de Tarentinorum rebus factum est a. 546/208 sctum in M' Acilii sententiam (Liv. XXVII, 25), ut oppidum praesidio custodiretur, Tarentini omnes intra moenia continerentur, res integra postea referretur, cum Italiae status tranquillior esset. Lyciis vero Romae a. 576/178 querentibus crudelitatem Rhodiorum, quibus attributi erant, senatum ad eos litteras[2]) dedisse, Pol. XXVI, 7 et Liv. XLI, 7 narrant. Sctum autem de Hispanis factum est a. 583/171 querentibus de magistratibus Romanis, ne frumenti aestimationem magistratus haberet neve cogeret vicesimas vendere Hispanos quanti ipse vellet sq. (Liv. XLIII, 2). — Rhodii autem sctum a. 591/163 impetraverunt, quo Calyndae urbis possessio iis confirmata est (Pol. XXXI, 16. 17). Sed Charopem, cum Romam a. 594/160 advenisset, senatoresque aperte pecunia oppugnaret, ut sctum acciperet, quo omnia, quae ipse foedissime in Epiro fecisset, comprobarentur (Pol. XXXII, 22[1]), senatus paene sine responso dimisit. Qui cum quae vellet non assecutus esset, ipse sctum composuit adulterinum, ut civibus videretur senatus facinora Charopis comprobasse. At Alexander et Laodice, filii Antiochi Romanorum socii, sctum a. 602/152 impetraverunt (Pol. XXXIII, 16), quo senatus eos, si opus esset, adiuturum esse ad regnum paternum recuperandum pollicitus est.

Apud Iosephum vero multa extant scta de Iudaeis facta, quae Mendelssohnius nuper quam accuratissime e temporum ordine disposuit et enarravit. Inter quae hoc loco afferamus sctum a. 621/133, quo Antiochus VII Euergetes Sidetes Syriae rex Iudaeos vexare vetatur (Ios. A. I. XIII, 9, 2. Mendelssohni l. s. 129 sq.), alterum eiusdem anni quo Antiochus Iudaeis erepta reddere iubetur (Ios. A. I. XIV, 10, 22. Mendelssohni l. s. p. 135 sq.). Caesaris vero decreta (Ios. A. I. XIV, 10, 2[3]). XIV, 10, 5, 6. Mendelssohni l. s. p. 192 sqq.) a. 707/47 de Iudaeorum rebus latius fusiusque discernentia duobus

1) Item imperatores Romanos de sociorum rebus apud eos discernentes epistulam ad eos dedisse, e Flaminini consulis epistula ad Cyretienses missa a. 556/198 — ut unum exemplum afferam — apparet. 2) Huc pertinent M. Antonii litterae ad Tyrios missae de reddendis eis quae Iudaeis eripuerant (Ios. XIV, A. I. 12, 4. v. Mendelssohni l. s. p. 260 sq.) et Caesaris decretum in epistula ad Sidonios data inclusum de Hyrcano eiusque filiis (Ios. A. I. XIV, 10, 2. v. Mendelssohni l. s. p. 192 sq.). 3) Sunt autem eius decreti verba haec digna, quae adscribantur ‘*βούλομαι δὲ καὶ ἑλληνιστὶ καὶ ῥωμαϊστὶ ἐν δέλτῳ χαλκῇ τοῦτο ἀνατεθῆναι*’.

senatus consultis insequenti anno (Ios. A. I. XIV, 10, 3, 4) sunt confirmata. Sctum autem de Hyrcani regno augendo iisdem temporibus factum, cum in aerarium delatum non esset, eodem anno novo scto comprobatum est (Ios. A. I. XIV, 10, 10 p. 237 sq.). — Denique si senatus quae imperatores decreverant ea rata faciebat, sctum scriptum legatis esse datum, per se patet[1]).

d. *missis a populis, quibus senatus privilegia concedit.*

Suetonius cum eo loco, quem supra attulimus, significet, scta in aere incisa esse de privilegiis cuicumque concessis, quaestio est de privilegii vocabuli notione. E plerisque autem Ciceronis locis[2]) cum intellegi possit, immunitates et civitates et conubii ius privilegii notione comprehendi, mirum non est, quod Teiis et Heracleotis et Aphrodisiensibus (C. I. G. II, n. 3045, n. 3800. Lebas III, n. 1627 explic. p. 384) magistratus epistula e scto missa ἐλευθερία καί ἀνεισφορία datur. Itaque et de Ambraciensibus (Liv. XXXVIII, 44) et de Lyciis et Caribus, (Pol. XXX, 5. Liv. XLIV, 14) quibus leges suae conceduntur, sctum in aere esse incisum, verisimile est[3]). Sed a senatu non paucae gentes beneficia impetraverunt, quae, quamquam fortasse privilegii nomine per se non significantur, tamen nos non dubitamus hoc loco tractare, quod eorum natura ad privilegii vim prope accedit. Ita Gallorum duobus regulis fratribus senatus a. 584/170 petentibus concessit, ut iis commercii ius denorum equorum esset educendique ex Italia potestas fieret (Liv. XLIII, 5); insequenti anno Rhodii acceperunt sctum, ut sibi ius esset copiam quandam rei frumentariae e Sicilia exportandi (Pol. XXVIII, 2). Cumanis autem a. 575/179 petentibus permissum est a senatu, ut publice latine loquerentur, eorumque praeconibus ius esset latine vendendi (Liv. XL, 42). Quod autem Iudaeis edicto L. Lentuli militiae vacatio a. 705/49 (Ios. A. I. XIV, 10. 16. 19. 10, 13. Mendelssohni l. s. p. 172 sq. 181 sq.), senatus consulto a. 708/46 facto religionis confitendae libertas (Ios. A. I. XIV, 10. 3. 4. XIV, 10. 12. XIV, 10. 25. Mendelssohni l. s. p. 206 sq. 248 sq. 252 sq.) dantur, per se patet, haec senatus in futurum decreta in aere incisa esse[4]).

---

1) Liv. XXVI, 32. XXVIII, 39. XXX, 17. 2) Cic. Phil. I, 1, 3. II, 36, 92. II, 36, 93. V, 4, 11. XII, 5, 12. fam. XII, 1, 1. v. Mommseni: sui modi sq. in annali t. XXX, p. 199. 3) Massiliensibus vero (Iustin. XLIII, 5, 10) non sola immunitas concessa est, sed haec fuit foederis, quod aequo iure percusserunt, condicio quaedam. 4) Denique utrum legatis se purgantibus sctum scriptum sit datum necne ex epistula illa ad Tiburtes a praetore missa (C. I. L.

5. De senatus consultis[1]) legatis datis.

Postquam[2]) senatus dimissus est, is magistratus qui cum coegerat senatus consultum faciendum curavit ex iis quae antea scripto[3]) mandata erant. Qua in re eum adiuvari a nonnullis[4]) senatoribus, qui scribendo adfuerunt, notum est. Quibus rebus confectis sctum rite conscriptum in aerarium[5]) Saturni delatum est, quod scribae quaestorii in codices[6]) referrent alterumque exemplum describendum curarent. Alterum enim exemplum legatis dabatur, alterum Romae servabatur, ut si opus esset huius exempli fide controversiae discernerentur[7]).

Sed si senatus consulta fiebant de Graecis non a Sullae demum aetate, sed dudum antea graecam interpretationem adiectam fuisse, ex sctis de Thisbaeis apparet. Si vero senatus consulta graece scripta inter se conferimus, ea semper Graecorum communi dialecto comparata esse invenimus. Cum autem verba legitima iuris publici Romani in universum verbis certis et sollemnibus converti soleant, veri quam simillimum est, Romae publice a quaestoriis scribis linguae Graecorum peritis interpretationem esse factam eamque auctoritate publica esse confirmatam.

Post nonnullos autem dies legati quaestorem urbanum adibant, ut senatus consultum acciperent. Qua occasione oblata iis non

I, p. 107) nos elicere non possumus, quod quae eorum legati Romae exposuerint prorsus nescimus. Itaque haec quaestio de legatis se purgantibus a nobis in dubio relinquitur.

1) Hoc loco nos nihil fere novi afferre possumus, quod iam Foucartus, Mommsenus alii viri docti omnes difficultates sustulerunt, attamen, ut disputatiunculam plene accurateque perficiamus, omnia hoc loco colligere nobis non supervacaneum esse videtur. 2) Raro fit, ut antequam senatus dimissus sit sctum componatur. Dionys. XI, 21. Langii: R. A. II², 390. 3) Inde a Caesaris temporibus omnia quae in senatu agebantur conscripta esse iam supra annotavimus. Sed inde non sequitur, ut non iamdudum antea consul quae necessaria visa sint accurate scripto mandaverit (Liv. XXXII, 8). 4) Magistratuum usque ad Sullae tempora neque tribus neque cognomina addi, senatorum vero qui scribendo adfuerunt primum tribus, postea etiam cognomina indicari, nunc constat (v. Mommseni: Ephem. epigr. I, 289. Mendelssohni l. s. p. 119). 5) v. Mommseni: sui modi sq. in annali XXX, 181 sq. 6) Mommsenus (Herm. II, 103 sq.) de codicibus in quibus tabulae illae publicae servabantur haec verba facit 'die ins Archiv abgelieferten Acten bilden einen codex, der aus tabulae besteht und weiter nichts ist, als ein in Brettchen zerschnittnes Holzstück (codex ansatus d. h. mit einem Griff zum Aufhängen)'. 7) Sicul. Flacc. p. 154 sq. Hygin. p. 202, 11. v. Rudorffi: Feldm. II, 115.

solum senatus consultum sed etiam munera et litteras commendaticias — si senatus eas decreverat — data esse, non prorsus cum verisimilitudine pugnat. Sed non raro legatos post senatum datum permultum temporis exspectavisse, ut scta acciperent, inde concludimus, quod inter alia beneficia Iudaeorum legatis in Caesaris decreto a. 707/47 diserte constitutum est *τὰ ἀποκρίματα ἀποδίδοσθαι ἐν ἡμέραις δέκα ταῖς ἁπάσαις ἀφ' ἧς ἂν τὸ δόγμα γένηται.* (Ios. A. I. XIV, 10, 6. Mendelssohni l. s. p. 197 sq.). Sed neque scta de societate facienda neque aliud quoddam sctum *in aere inscriptum* legatis tradebatur, sed potius more Romanorum solito conscriptum.

Nam scta de Thisbaeis et de Prienensibus Samiisque in marmore incisa non Romae esse facta, sed in Graecia, constat, quod Romanorum acta publica iis temporibus Romae nunquam in marmore inscribebantur[2]).

Denique ipsa scti forma eadem erat, quam aliorum nota. Legatorum vero nomina aut in initio[3]) aut in extrema[4]) parte scti ponebantur iique dici[3]) solebant *καλοὶ καὶ ἀγαθοὶ καὶ φίλοι πεμφθέντες παρὰ δήμου καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ συμμάχου τε.* Denique in extrema scti parte et de scto in tabula inscribendo[3]) — si opus fuit — et de muneribus in singulos mittendis[5]) sermo erat.

1) v. Mommseni: sui modi sq. annali t. XXX, p. 214. Langii: R. A. II[2], 309. Paulyi: Realenc. s. v. sctum, s. v. epistula. 2) In societatibus autem faciendis et in concedendis privilegiis senatum diserte significasse, sociis in patria sctum in lapide vel alia materie inscribendum esse, iam supra annotavimus. Sed si senatus decrevit de rebus sola ad tempora praesentia (sicut de potestate frumenti exportandi Rhodiis facta) pertinentibus, sociis scta in aere aut lapide inscribere opus non fuit. 3) v. Sctum de Asclep. Graec. vs. 10 de Astyp. vs. 3 de Prienens. vs. 7. 4) Quod legatorum nomina in fine adduntur, eodem modo in decretis municipalibus quibusdam de clientela impetranda legati subscribebantur (v. Mommsenus: Röm. Forsch. I, 340) velut in decret. Ferentin. (Orell. 784)'. v. Mendelssohni l. s. p. 246 ad Ios. A. I. XIV, 10, 10. 5) Nunquam de loco lautiis praebendis diserte mentio fit.

Natus sum Ioannes Rudolfus Theodorus Buettner-Wobst a. d. IX. Cal. Febr. anni h. s. LIV patre Carolo, quem ante duos annos mortuum esse valde doleo, matre Albina e gente Wobstiana. Fidei sum addictus evangelicae. Anno h. s. LXVII in gymnasium Dresdense quod est ad aedem Sanctae Crucis receptus sum, cuius scholas per V annos frequentavi Kleeio et deinde Hultschio rectore. Anno LXXII maturitatis testimonio accepto Lipsiam me contuli, ubi scholis interfui Ahrensii, Brockhausii, Curtii, Ecksteinii, Langii, Overbeckii, Ritschelii, Struempellii, Voigtii, Zarnckii. Per duo spatia semestria sem. philol. reg. sodalis ordinarius, per unum semestre senior fui. Exercitationes vero societatis Langianae adhuc frequento. Quibus omnibus viris imprimis Langio, quem de me summo opere meritum esse semper ero memor, gratias ago quam maximas eosque animo pio semper colam.